
8
7-C
8


BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
27 H
14






# FLORENTII VANDER HAER, DE INITIIS TUMULTUUM BELGICORUM

AD SERENISSIMUM D. D. ALEXANDRUM FARNESIUM PARMAE, ET PLACENTIAE DUCEM

# LIBRI DUO:

Quibus eorum temporum Historia continetur, quæ à Caroli Quinti Cæsaris morte, vsque ad Ducis Albani aduentum, imperante MARGARETA AUSTRIA, Parmæ & Placentiæ Duce, per annos nouem in Belgio extiterunt.







Excell.mo D. Dño Balthazaro de Cuniga S. C. M. apud Rege Christianiss. Legato obsequij sui testimonio author offerebat:

DUACI,

Ex officina Ioannis Bogardi.

M. D. LXXXVII.

Regiæ Catholicę Ma$^{tis}$ priuilegio cautum eſt, ne quis cuiuſcunque ſtatus aut conditionis, *Florentij vander Haer de initijs tumultuum Belgicorum libros II.* citra Ioannis Bogardi voluntatem intra ſexennium imprimat, alibíve impreſſos in eius ditionis fines importet, aut quouis modo diſtrahat. Qui ſecus faxit, pœna in regio diplomate expreſſa multabitur. Dat. Bruxellis, xxx. Ianuarij M. D. LXXXVII.

Subſig.

*Prats.*

# AD
# SERENISSIMVM
## ATQVE ILLVSTRISSIMVM D. D ALEXANDRVM FARNESIVM PARMAE ATQVE PLACENTIAE DVCEM, AVRATI VELLERIS EQVITEM, PHILIPPI REGIS CATHOLICI PER GERMAniam inferiorem, Burgundiamque supremum Præfectum, militiæq; Regiæ supremum atque inuictum Ducē, Florentij vander Haer de initiis tumultuum Belgicorum

## Liber primvs.

*Maxima Parmæ Principis in Belgas merita.*

QVOD religiosa animorum demissione, atque accurata peccatorum pœnitentia, quod sacrosanctis precibus atque pio cultu, quod votis rite nuncupatis orare Christianos homines supremum Numē oportebat, vti cùm in Belgium prę̨claram atque in omnē partem cumprimis oportunam Europæ ditionem tot se vno veluti agmine grauissimarum calamitatū acerui contulissent, vti non prouincia, non vrbs, non vicus, non domus, nulla hominum neque ætas, neque sexus, neque ordo, à maxima-

rum indignitatum, turpissimæque iniuriæ metu vacaret, cùm tanta subitò omnibus locis rerum perturbatio confusioque esset exorta, vti non sacrosanctam summi Dei religionem, non iuratam legitimo Regi fidem, non in agnatos atque socios officium, tenere diu homines possent, tantisque animi malis ex corporũ ægritudines accessissent, vti non agris, non vrbibus securè habitaretur: non fortunæ, non vita denique, nisi malorum hominum beneficio, cuiquàm constaret; quod, inquã, precari homines illis post habitatum Belgium calamitosissimis miserrimisque temporibus oportebat, vti cùm præsentem habere Regem nõ liceret, eum saltem rebus afflictis atque perditis Ducem Deus largiretur, qui & imperij moderatione, prudẽtiaque, malis artibus conuulsas atque adeò de statu dimotas bonorum subditorum voluntates restitueret, atque omnem inde in posterum malis hominibus nocendi potestatem auferret, id equidem ingenti Dei beneficio, illustri tua cum laude, (ter magne atque à D. Deo benedicte PRINCEPS) incredibili nostro bono atque commodo, impetrari à Deo potuisse, cùm nobis cumprimis,

primis, ad quorum salutem, tum Regi atque tibi, ad quorum dignitatem ea res pertineret, gratulari nos est necesse. Fuit enim, neque peruetusta ea est memoria, cùm Regis auctoritas in angustum redacta, vnis Lutzenburgi, Namurciique direptis atque laceris prouinciis ita contineretur, vti quę superessent reliquæ amplissimæ prouinciæ, vel in crudelissimorum iam hostium potestatem deuenissent, vel salute penè desperata, & domi hæreticorum, & foris peregrinorum principum insidiis atq; dolis, eò periculo maiore iactarentur, quòd ad eum quem rei restituendæ vnum atque eum solum Ducem esse oportebat, venire, ob infinita quæ causarētur, minus vellent, fieretque, vt grauissimis morbis, mori vti se homines malle profiterentur, quàm illi se medico curandos præbere, quem pessimorum hominum scelere malè traductū, multis iam præiudiciis animo secum condemnassent: tamen, siue quòd ea veri vis existat, vti id vincere sit necesse, siue quòd infinitorum hominum innocentiæ atque precibus, grauissimorum criminum pœnas Deus condonaret, siue quòd tuis virtutibus immortalis ea laus atque gloria

*Misera Belgarum cōditio ante Principis imperium.*

deberetur, diuinis æternisque tuis meritis est effectum, vti catholica religione restituta, iustitia culta, prouinciis si non omnibus, at certè plærisque & summam rerum quietem, & maiorem quàm sperari post tot mala posset animorũ atque corporum salutem te Duce adipisceremur. Qua de re quoties cogito, toties illud inuenire difficulter possum, & quænam tua illa potissimũ virtus existat, cui acceptam ferre eam tantam, tam excellentem tuam laudem oporteat: Et, tibí-ne cuius eæ propriæ virtutes existerent, an nobis qui alienis vteremur, plus illæ decoris atque ornamenti attulerint. Nam cùm belli gloriam intuemur, atque illas tuas res gestas iam inde à suscepto imperio præclarè atque fortiter administratas recordamur, tum quibus rebus singulis veteres Impp. magnam esse laudem consecutos animaduertimus, eas vniuersas in te vnum conspirâsse admiramur: Animum non aduersis fractum, non secundis elatum, solertiam in inueniendo, celeritatem in exequendo, deliberationem in suscipiendo grauem, imperij cum dignitate modestiã, vigilans atq, assiduum in omnem partem studium,

*Principis laudes bellicæ.*

ſtudium, indefeſſum laborem, incommodorum patientiam, ad quódvis belli genus infractum atque immotum animum; ſiue vrbes ſitu, atque operum magnitudine, militumque vi atque robore communitas tentari conueniat, ſiue acie cum diuturno armorum vſu exercitatis eſt Ducibus militibusque decertandum. illam poſtremò admirabilem tuam virtutem, vti poſt ſalutem rumorem atque hominum exiſtimationem haberes. Atque hæc cùm de tua belli gloria recordamur, & iam inde ab vrbibus Tranſmoſanis expugnatis ad Traiectum ſuperius cogitationem conuertimus, atque iſthic obſeſsi veterani militis ingens robur, munitionum magnitudinem, ciuium pertinaciam ceſsiſſe tuæ virtuti animaduertimus: inde per Bouchinium, Tornacum, Aldenardum, Teneramondam vi armata expugnatas vrbes percurrimus: hinc Flandriã occidentalem, & in his Dunckercam Ducis Andegauenſis noui imperij infauſtam ſedem occluſo mari incredibili celeritate expugnatam: Neoportum, Dixmudam, Furnas, Bergas in poteſtatẽ acceptas: Ipras, & Gandanum fame ad deditionem coactas recordamur:

*Vrbes vi expugnatę Limburgũ Daelhem, Carpen, trãſmoſanæ vrbes. Traiectũ ad Moſam. Bouchiniũ in Hannonia. Tornacũ. Aldenardum. Teneramonda. Dũckerca Neoportũ, Dixmuda, Furnę, Bergę, deditione in poteſtatem acceptæ. Ipræ, Gãdanum, fame ad deditionẽ, coactæ.*

*Zutphania Steenvvichũ, Curtracũ, Lira Breda dolo militari recuperata. Antuerpia, Bruxella, Mechlinia fame expugnata.*

hinc Zutphaniam, Steenvvichum, Curtracum, Liram, Bredam, ſubita irruptione, militari dolo recuperatas: Antverpiam, totius orbis terrarum nobiliſsimum emporium, recente de Duce Andegauenſi, militiaque gallicana victoria ſuperbum, iis naturæ atque hominum diuturnis ſtudiis comminutum, quibus potentiſsimorum Principum inexhauſtas opes exercituumq; ingentes copias rideret, in Angliæ, Hollandiæ, Zelandiæque conſpectu, eo hoſte iminente, qui mari dominaretur, nauales copias inſtructas quamplurimas haberet, eo ſucceſſu, ſolertiaque expugnatum intuemur, vti & leges à victore ipſa acciperet, & Bruxellam, Mechliniamque ampliſſimas vrbes, vnà ad officium inuitũ ſecum adduceret. Inde cùm ab vrbium expugnationibus in aciem deſcendimus, & Gallos ad Cameracum magna ſtrage cæſos, cunctando ſæpius deluſos, Anglos ad Steenbergam, de la Noue ſupremum hoſtium Ducem amiſſo, ad Curtracum exercitu captum, tot è Phriſia deletis hoſtibus triumphos, memorabilem in aggere Caudeſtenio ad Antverpiam, de fortiſsimo milite, iuſtoque exercitu victoriam, cæteraq; eius gene-

*Principis, collatis ſignis victoria, de Gallis, ad Cameracũ; De Anglis ad Steenbergam; De Orãgij ſupremo Duce La Noue ad Curtracũ; D. Hollãdiæ, Zelandiæ, ſociorũmq; inſtructa claſſe, atq; milite ad aggerem Caudeſtenium.*

generis infinita cogitamus: tum equidem hanc esse illam tuam bellicam virtutem prædicamus, quæ tot Regi prouincias recuperauit, Andegauensem nouo imperio profligatũ toto Belgio deturbauit, Orangium Brabantia deiectum, malè tutas Hollandiæ latebras quærere coëgit: omnium postremò in te hominum vel admirationem, vel inuicti tui animi metum concitauit. Verùm cùm è diuerso à bello digressi in cæterarum tuarum virtutum memoriam ingredimur, atque illas quæ in omniũ sermone atque oculis versantur, togatas tuas laudes recitamus, tum hæ istæ nobis, quàm illæ belli illustriores omnem in partem maioresque existimantur. Licet enim res maximæ ista tui inuicti animi fortitudine sint procuratæ, neque vlla è re maior atque è bellis, laus vulgo existat, siue quòd amplissimorum imperiorum ea initia extiterunt, siue quòd potentium hominum concertationes atque opes, ingentes rerum commutationes, agrorum vastitates, vrbium excidia, populorum clades, quæ iustissimis etiam bellis continentur, insignem posteritati eorum temporum atque Ducum memoriam post se relinquant:

*Frãciscus Valesius Dux Andegauensis, Belgij imperio deturbatus.*

*Orangius è Brabãtia in malè tutam Hollandiam fugere coactus.*

*Principis virtutes togatæ.*

maiores nihilominus verioresque eæ tuæ
laudes exiſtunt, quæ non niſi cum popu-
lorum atque ſubditorum ſalute ſunt con-
iunctæ, atque ita tuæ exiſtunt, vt nullam
inde ſibi partem arrogare Legati, Tribu-
ni, Centuriones, Milites poſsint, nullam
quæ in bello plurimum valēt breues tem-
poris locorumque oportunitates vendi-
care ſibi portionem queant. Tua enim eſt
*Prudētia* illa in rebus gerendis ſingularis pruden-
*Grauitas.* tia: Tua illa in dignitate retinenda graui-
tas, in audiendis ſubditorum poſtulatis le-
*Humanitas.* nitas: Tua eſt illa non humana ſed propè
*Dictorum* diuina gloria, dictorum factorumq. con-
*factorúmque con-* ſtantia atque fides, quæ vna convulſam
*ſtantia.* ſuperiorum temporum iniuriis Religio-
nis maieſtatem, Regis amplitudinem poſt-
liminio in auguſtius ſecuriusq. dignitatis
faſtigium collocauit. Hæc vna illa tua eſt
virtus, quæ te non aurato curru, ſed veris
laudibus ſublimem in illuſtri totius orbis
theatro veracis Principis corona decora-
*Arteſia,* uit. Recordamur, cùm Arteſia, Hanno-
*Hānonia, Inſulæ,* nia, Inſulæ, Duacum, Orchinium in com-
*Duacum, Orchiniū* mune conſiliis deliberarent, atque te tum
*iis virtu-* Traiectum ad Moſam oppugnantem le-
*tibus conſeruata.* gitimum ſui Regis Præfectum profiteren-
tur,

tur, totosque (quod facere eos oportebat, arduum nihilominus iis temporibus existebat) in tuam se potestatem traderent, fuisse tum eos Orangij sermones, quem res ea vehementer tum pungebat, vti palàm profiteretur, impoßibile tibi futurum vt fidem prouinciis præstares, tum quòd Regis Catholici ministros ita esse arrogantes affirmaret, vt subditorum pacta conditionesque inter crimina Maiestatis deputarent, tum quòd fidem subditis datam iuratamque, vti noui prætores, sic ex edicto: Quod vi metúsve causa, Regij Præfecti iampridem rescindere consuêssent, inde id secuturum auguraretur, vti cùm prouinciæ violari ea pacta intelligerent, quæ securitati suæ necessaria credidissent, in nouos continuò atque eos prioribus grauiores essent motus erupturi. Fefellit hominem augurium, quod è suo ille ingenio, non etiam ex Regis atque tuo desumebat, fidemque quam dederas non præstitisti modò, quin vltrà quàm sperare homines auderent amplißima in bonos subditos beneficia contulisti, malos non tam pœnis quàm virtutum tuarum metu in ordinem redegisti. *Pactorũ fideique constãtia.*

Quam

Quam rem id eſt ſecutum, vti Regi exactè pareretur, tibi homines nō vi atque armis, ſed libentes ingenti animorum conſenſu, conſtantiaque obſequerentur, legibus, quibus Regium exercitum, non malo animo, at minus commodè initio prouinciæ arctarant, nulla vi adhibita vltrò renunciarent, onera, vectigaliaque pro rerum neceſsitate, minuta; pro viribus atq; opibus, ingentia miniſtrarent. Hinc huius tuæ virtutis fama in hoſtiles prouincias progrederetur, Brugenſes, Franconates, vrbes atque agri Flandriæ ad Schaldam, Neomagum, Doisburgum, nemine cogente, imperij tui faſces libenter ſubirent, vrbes obſeſſæ non vti antè extrema paterentur, ſed præſidiis in vrbem admiſsis, omnem ſuam ſalutem in conſtante tua fide collocarent; ita ſublata vetere quæ extiterat diffidentia, vti nullus tam hoſtis vel Regi vel tibi capitalis ſit inuentus, qui non ratam (ſi detur) tuam ſe fidem habere profiteatur, tāta tua cum gloria, vt vna illa, certiſsima rerum promiſſarum cautio exiſtat: Si hoc Parmæ Principem promiſiſſe homines intelligūt. Iam illæ reliquæ tuæ virtutes quàm ſunt multæ atque auguſtæ: In Religionē pietas; In iure

*Bruga, Ager Franconatium, VVaſio-ū, Neomagū, Doisburgum recuperata.*

In iure dicundo æquitas: In negotiis dexteritas: Non frangi rumoribus: Non assentiri calumniatoribus: Non credere adulatoribus: Non fastuosè pro imperio voluntatem, sed æquissimam legitimi iuris, veterisq́; comprobati moris auctoritatem habere: Cætera denique tot atq; tanta, quanta neque epistolæ modus, neque modestia tua facilè patiatur. Iam illud quod secundo loco minus me inuenire affirmabam: Tibíne tuæ virtutes, an nobis plus illæ decoris atque ornamēti attulerint, ea certè perardua mihi quæstio atque difficilis exiitit. Nam si eorum temporum memoriam recolimus, quæ Albano imperante extiterunt, quæq́ue Requesenij mortē sunt consecuta, tum certè è Belgio in Hispanias ad Regem, non nisi Vrbium defectiones, Religionum mutationes, Prouinciarum noua cōsilia, Ordinum generalium extraordinaria comitia, suscepta fœdera, accersiti peregrè præfecti, cæteraq́; eius generis infinita deferebantur. Pòst, cùm ille nobis post Belgium excultum, lætissimus imperij tui dies illuxit, tum nulla peregrina vi, sola veræ virtutis atque laudis gloria incitati, præclara nostri homines per se multa gesserunt,

*Subditorũ virtutes atque laudes à Principis esse laudibus profectas.*

*Emanuelis, Lalenij Marchionis Renthei, baronis Montignei preclaræ res gestæ.*

ſerunt, eo fauentis Dei auſpicio, vt quæ anni M. D. LXXVIII. Cal. Octob. primus imperij tui dies extiterũt, eædem illæ eſſent Calẽdæ, quibus Emanuel Lalaignius Montignei dominus, Menino occupato, neceſſariis Reip. temporibus, tum cùm præceps in ruinam Religio, Regisque obſequium ruerent, cùm indebitam inter ordines auctoritatem Orangius teneret, viri boni quem ſequerentur Ducẽ non inuenirent, mali pro arbitrio omnia ſurſum deorſum verſarent, incertis omnia conſiliis nutarent, ita ſe Ducẽ rei reſtituendæ per Flandriam eſt profeſſus, vti ſtationibus toto flumine Liſæ diſpoſitis, progredi hæreticorum inſaniã vltrà non pateretur, magnam lectiſsimorum militum manum ad Regem adduceret, digreſſos ab officio homines grauiſsimis damnis cladibusque coërceret, Orangij conſilia turbaret, eos in Orangij exercitu motus concitaret, vti Caſimiro Palatino Comite à Gandauenſibus ab exercitu ad ſuam internecionem Curtracũ abducto, toto inde exercitu dilapſo, præclariſsimorum per Arteſiam, Hannoniam, Inſulas, Duacum, Orchinium conſiliorum auctor, ſi minus verbo, at certè re exiſte-

existeret. Ducem Andegauensem vti tutelarem Deum, maximorum, vti ferebatur, periculorum metu, intra domesticos lares prouinciæ nonnullæ admiserāt: dolis Gallicis deprehensis Hannonia eiectum redire in Galliā Montenses, Landrechei, Quercetiq́ue vrbes coëgerunt. Louaniū florentis quondam Belgij illustre decus, tot nobilissimę vrbis decora, tot optimorū ciuiū fortunas atq; vitam, tot præstātissimorum ingeniorū calamitates æterno constantiæ atq; fidei testimonio, vni Religionis atque Regis obsequio impenderet, hostē iam admotis scalis è mœnibus pugnātem, nō tam militū, quæ parua tū vrbe manus existebat, quàm ciuium singulari virtute depelleret. Atrebatum celeberrimum ad Galliæ limitem Artesiæ vrbem iampridem Orangius cogitabat: abducere se à Religione Regisq́ue studio ob præstantem veteremq́ue ciuium fidem, nisi dolo, vrbem minus posse intelligebat. Multis itaque legationibus literisq́ue suspicaces atque irritabiles limitaneorum hominum animos in eum metum adducit, vti contra seruitutem, contra Galliæ metum multa secum consilia haberent, Aldegondam libenter audirent, quin-

*Montēses, Lādrecheani, Quercetani in Hānonia. Louanij magna cōstantia.*

*Atrebatum.*

quindecimviros Reipub. turbandæ constitueret, vrbis militiæ, vigiliisque quẽdam suarum partiũ factiosum hominem Ambrosium prçficeret: hinc, rebus constitutis, in eas difficultates vrbem adduceret, vti ordinum Artesiæ libertate sublata, vrbis magistratui per suos illos quindecimviros Ambrosiumque in curia custodes apponeret, vrbémque & malorum hominum studiis (qui rebus turbatis multi omnibus & Rebusp. atque vrbibus facilè se ostendunt) & imperitæ plebis multitudine, quæ vti pecudes ducum vestigia sequi consueuit, eò perduceret, vti de salute vrbéq; restituenda spes superesse iam nulla crederetur. Non ferunt eam contumeliam præclari eius vrbis ciues, omnino si bonorum sese studiorum duces ostenderent, multos ad se accessuros arbitrantur. succedit negocium, decedere de foro curiaque quindecimviros inuitos cogunt, magistratum in libertatem asserunt, Oudardum Bornonuillium dominum Caprij vrbis prçfectum in vrbem adducunt, quindecimviris vincula injiciunt, de dãnatis pœnas sumunt, rebusque ingenti celeritate restitutis, & Orangio recuperandæ auctoritatis facultatem

tatem eripiunt,& Religioni atque Regi vrbem conseruant. Valenciana infamis priorum præfectorum imperio, officium magna sua laude, summis rerũ periculis, præclarè bis est tutata: semel cũ Harcheus vir nobilis, factiosorum sese hominum ea vrbe Ducem professus, & magistratus ingẽti fortitudine prudentiaque, & Ioannis Richardoti singulari virtute, constantia, eloquentiáque, & imperio est Harcheus deiectus, & seditiosis sunt hominibus arma de manibus erepta: Iterum, cùm vrbe dolo occupata, hoste Tornacensi iam vrbem ingresso, & hostem vrbe profligauit, & ciues seditiosos repressit, & tibi se tot hostibus circumsepta submisit. Landrechei præfectus apud Orangium sacramenta dixerat, militesque pecuniis corrumpere instituerat: plus tamẽ apud ciues milites que, Philippo Comite Lalaino procurante, officij ratio, quàm præfecti artes atque doli valuerunt. Insulas hostis Tornacensis cogitabat, fossis tentatis, munitionibusque exploratis per proditores rem aggreditur, nullo peregrino milite intra vrbẽ existente, ipsi sibi consilium magistratus atque ciues capiunt, hostem accedere propius non

*Philippus Comes Lalenij.*

*Insulæ.*

permittunt, in proditores seuerè animaduertunt. Mechlinia, inedia afflicta, hostilibus copiis præsidiisque cincta vndique, inopina subitáque hostium irruptione occupata, non antè in hostium potestatē peruenit, quàm & locis omnibus tota vrbe diu ciues pugnâssent, & circumuenti sustinere vim hostium diutius non possent. Alostū minuta Flandriæ & perexigua ciuitas, eiecto Orangij præsidio in libertatem sese asseruerat, inde tibi se quod oportebat tradiderat, inter densißimos hostes, grauißimis rerum difficultatibus iactata, admirabili omnium ordinum atque ætatum fortitudine, incredibili vigilantia, officium constantißimè tuebatur, nocturnis insidiis per tentatum fossæ vadum, Religioni atque Regi obsequentem, alienam vrbem Ducis Andegauensis præfecti inuadūt: exiguum quod intra vrbem præsidiū remanserat, qui clerici, qui ciues, qui è pagis vrbe homines morabantur, fortiter pugnant, antè vitam, quàm officium perdunt. Iam illa quæ Busciducis sæpius acciderunt, hæreticæ conciones sola ciuium virtute constantiáque eiectę, inde vrbe dolo occupata, cùm Claudius Berlaymontius dominus Haulte-

*Mechlinia.* *Alostum.* *Buscum-ducis.* *Claudius Barlaymontius Dominus Haultepenna.*

Haultepennæ caſu in eam vrbem aduenisset, & perpaucos iſthic equites in comitatu haberet, an non ciuium ſingulari virtute atque gloria, & omnes illas hoſtiũ copias cæcidit,& vrbem extremis periculis exemptam Religioni atque Regi cõſeruauit? Illa poſtremò Neomagienſium virtus, cùm hæreticorũ ſeruitute depulſa tui imperij atque præfecturæ faſces eſt amplexa, an non illuſtri in omne æuũ teſtimonio id probabũt,nunquã tot vel fidei,vel fortitudinis,vel pietatis officia fuiſſe noſtras vrbes atq; homines ſuſcepturos, ſi non in tuo ſe præſtante imperio eas virtutes inuenturos arbitrarentur,quibus & beatè viueretur,& ſecurè pareretur? ſi non etiam per te homines didiciſſent,& quã iis præclarũ atque omnibus ſuis numeris abſolutũ eſſet Regem Deus elargitus, & quàm illæ graues atq. legitimæ cauſę exiſterent,vti malis ducibus deſertis in huius ſui Regis tot rationibus legitimum, tot cauſis æquiſsimum iuſtiſsimumq. imperiũ cõcederent? Nobis itaq. qui tuis virtutibus accẽſi hæc noſtrarum prouinciarũ atque vrbium decora ſumus cõſecuti, honori tuæ illæ virtutes atq. merita extiterũt,idq. nobis quã tibi magis. Neomagh.

Nam & harum laudum commendatione nos alieni imperij homines, quàm tu legibus ſolutus PRINCEPS, plus indigemus: & commodo eæ res nobis quàm tibi magis ſunt futuræ: quòd intelligi equidem non difficulter poterit, ſi quis aliquando eo ingenio, eo ocio atque opibus eſt futurus, vti res à te geſtas ad poſteritatis memoriam ſit deſcripturus: quod certè qui memoria iam inde à morte Io. Auſtriaci repetita in hæc noſtra eſt tempora deducturus, næ ille diuini Numinis prouidentia, admiranda; rerum varietate, infinita; magnitudine, præclara; conſilio varia; fortitudine illuſtria ita multa eſt inuenturus, vti hæc vna ſufficere hiſtoria infinitis prudentum hominum ſtudiis poſſe videatur. Nullę enim ſunt neque bonę neque malę Reip. conditiones, nulla neque bonarum neque malarum Religionum conſilia, nulla offenſarum, diſsidiorum, ſeditionū, defectionum vel initia vel progreſſus, nulla vel domeſtica, vel Italica, vel Hiſpanica, vel Germanica, vel Gallica, vel Anglica, vel Scotica militia, nulli vel nauales vel terreſtres apparatus, nulli (ſi priorem tuis rebus connexam hiſtoriam cogitamus) terra atque

mari

mari conflictus, nulla denique diuinæ atque humanæ prudētiæ vel plura vel maiora exempla, atque hac illa, quam dicebamus, hiſtoria ſunt futura. præclarum omnino ac diuinum opus, ſed quod præſtare vni ſit difficile. Equidē ſi quæ ad rem tantam neceſſaria exiſtunt, iis ego rebus abundarem, nunquam hoc ego tanto fructu carere homines diu paterer: quod vt maximè ita de me ipſe iudicarem, tamen quòd hoc mihi ſtudiū adluberet, feci, vt eorum mihi temporum memoriam deſcriberem, quæ Cęſare Carolo extincto, inde Rege in Hiſpanias profecto, imperāte Sereniſsima matre tua Margareta Auſtria, varia in Belgio extiterunt: tum quòd perutilem hanc operam iis futuram exiſtimarem, qui ad hęc tua ſcribenda ſeſe eſſent collaturi: tum quòd earum rerum memoria ita inuoluta iaceret, vti cauſæ grauiſsimorum motuum minus tenerentur, eorum quoque innocentia vulgò laboraret, quos & præclarè de tota Rep. ſenſiſſe, & in commune rectè monuiſſe certò conſtaret. Cùm itaque hic mihi liber excidiſſet, tum cui illum potius quàm tibi, Sereniſsime Princeps, commendarem, non equidem inueniebam:

*Auctoris in ſcribendo conſiliū atque inſtitutum.*

quòd neque cui ego, atq. mei ordinis homines plus deberemus atque tibi, vllus existeret: neq. à quo auctoritatem maiorẽ esset liber adepturus cogitando reperirem. Vnũ modò quod remoraretur occurrebat, quòd neq. te dignus hic meus liber existeret, neq. inter tot tuas graues curas molestũ me tibi esse oporteret: sed vicit tot mihi negotiis testata tua virtus, vicit illa tua bonitas, quæ metiri non muneribus hominũ mentes, sed propensis in Regem in te studiis cõsueuit. Tibi igitur hoc quicquid est mei laboris atque operæ, vti Herculi Alexicaco votiuũ statuo, do, atq. dico: tu modo vouenti, Princeps faue, & hoc quicquid est, quod ponimus, poni permitte: est enim in triumphis non solis, vel arcubus in sublime elatis, vel pyramydibus, vel rostratis columnis, statuisque, sed & minutis tabulis, si non par, at suus quoque honos.

*Veteres Belgij Principũ & Regũ Galliarũ simultates atq. bella.*



ELLVM ingentibus Europæ atq; adeò totius orbis motibus nostri principes cum Galliarum Regibus diu gesserãt, in Belli societatem Germania, Italia, Hispania, Anglia, ipse adeò dãnati imperij Princeps Turca transierant, multarum prouinciarum

atque

atque vrbium direptionibus, profusis ditissimorum Regum opibus, populorumq. exhaustis vectigalibus diu bellum trahebatur, non induciis, non fœderibus, non agnatione, non nuptiis deponi iræ poterant, vnius Regis Philippi augusto imperio ea laus debebatur, vt quod ducētis retrò annis tot Principes minus potuerāt, vti stabilem ac diuturnam pacem haberemus, id quarto anno postquā imperium accepit singulari virtute consequeretur. Anni enim sunt paulò minus ducēti, cùm Carolo Sexto Rege Galliarum emota mente, in eum morbum collapso, vt superesse regno non posset, de regni administratione inter Ludouicū Aureliæ Ducem Caroli fratrē, & Philippum Burgundiæ, Ioannē Biturigū Duces, Caroli patruos altercari eo euētu est incœptū, vt rerum summa ad patruos translata, & impatiens noui imperij Ludouicus, & priuatarum offensarum seueri vindices patrui simultatibus atq. odiis Galliam implerēt, exciperet paternas simultates Io. Philippi filius: Ludouicum per sicarios via publica Parisiis confoderet, vlcisceretur iniustā agnati cædem vindex Deus, maioreq. etiam hominum perfidia, per Caroli filium tum Delphinum, post Galliarū Regem Carolum septimū ad Icannę & Sequanæ confluentē, eò turpiore parricidio Ioānem cōfodi pateretur, quò amicitię concordięq. simulatione maiore in eum fuerat locū à Delphino euocatus. Hinc accepta nepotibus diuturna odia, diuulsi in studia regni proceres, vltor paternæ cædis Philippus Dux Burgundiæ in aciē procedit, diu arbiter, Anglósne an Francos Galliarū


*Philippus dux Burgundiæ, et Ludouicus dux Aureliæ.*

*Ioannes dux Burgundiæ et Ludouicus dux Aureliæ.*

*Carolus septimus Rex Galliæ.*

*Philippus bonus dux Burgūdiæ & Carolus septimus.*





imperio flagitaret: pietati Regumque Galliarum necessitudini paternas iniurias condonat, pactisque Atrebati susceptis, eam cum Rege Carolo pacem constituit, qua sopitæ æterna obliuione priorum temporum contentiones dicerentur. Carolus Anglos à Philippo desertos tota penè Gallia deturbat: Philippus imperij limites, opes, dignitates in immensum atque inuidendum supremorum Regum fastigium perducit, populus sub pręstantissimi principis Philippi imperio ingenti cum fructu rem priuatam procurat. At Ludouici vndecimi infidum, Caroli Philippi filij fastuosum atque turbidum ingenium ferre eam fœlicitatem diu non possunt: itur denuo in coniuratas procerum societates: nouis bellis noui atque ij speciosi tituli quæruntur, varia fortuna ex bello ita bellũ trahitur, vti iis bellis & vitam Carolus, & fœlicitatem subditi impenderent ea rerum commutatione, vt Maria Ducis Caroli hæres filia Burgundia, Artesia, vrbibusque ad Somonam amissis, & domi seditionibus, & foris Ludouici insidiis de dignitate atque vita laboraret: opitulatur afflictæ Principi, innocentiæ & pupillorum tutor Deus: Maximilianũ Austrium Frederici Imp. filium ab extremis Germaniæ finibus, Ludouico repugnante, Mariæ eum maritum accersit, qui nullis suis opibus, quas è Germania perexiguas in dotem attulerat, sola virtute Comitatus Artesiæ, Burgundiæque recuperaret, trium Regũ Ludouici vndecimi, Caroli octaui, & Ludouici duodecimi iniurias multis bellis propulsaręt, Philippo filio eas nuptias procura-

*Carolus dux Burgundiæ, et Ludouicus vndecimus Rex Galliarũ.*

*Maria dux Burgundiæ, eius Maritus Maximilianus archidux Austriæ.*

*Reges, Ludouicus vndecimus, Carolus octauus, & Ludouicus duodecimus.*

ret, quibus ad Hispaniæ atque Italię dominatum nepotes peruenirent. Tot iam annos tot Reges pugnabant, tot paria gladiatorũ committebantur, in solos innoxios spectatores redibant mortes, in alienam libidinem tot miseri cadebãt, tot vrbes ruebant, tot agri flagrabant, tot scelera patrabantur: exaturari nihilominus animi non possunt: moritur Maximilianus, moritur Ludouicus; simultates, bella non moriuntur: euehitur ad supremum orbis nomen Maximiliani ex filio nepos Carolus, & comitiis Imperatoriis Cæsar Augustus cõpellatur. Succedit Regi Ludouico gener Franciscus: ad vtrosque cum hæreditate transeunt odia, tota Italia Galli profligantur, Franciscus pugna Ticinensi capitur, in Hispanias abducitur, in eas leges iurat, quibus se carcere, victorem Cæsarem iis legibus exolueret, quibus teneri victorem Cæsarem diutius non oportebat. frustra enim Cæsar vinceret, si nil victori victoria conferret. Restituitur itaque regno Rex Franciscus, Eleonoram Cæsaris sororem vxorem ducit, affinitas contrahitur, amicitia non contrahitur: malè obductum vulnus in Francisci præcordiis venenum coquebat, ea vomica cùm maturiret, tum eo ferro dissecta erupit, quòd pactis se teneri Franciscus negaret, in quæ vi atque metu consensisset. repetita itaque bella; post bella, repetita fœdera, quibus reparatis animis alacriores ad noua bella Reges concitarentur. Francisco mortuo succedit filius Henricus: huic iterum pugnare cum Cæsare adlubet. Nouis itaque atque iis latissimè patẽtibus bellis

*Philippus archidux Austriæ Rex Castellæ.*

*Carolus Quintus Cæsar, & Fräciscus Rex Gallorum.*

*Henricus Rex Galliæ.*

res agitur. Cæſar, quem diuinarum rerum ſtudio accenſum, humanarum tædebat, tot bella, tot mala abominabatur, bellorū nullum finem, fœderum nullam fidem cogitando inueniebat. Admirãdo itaque atq. ante eum diē inaudito exemplo decedere de tot regnis, de tot ampliſſimis ſupremarū dignitatum honoribus Cæſar cogitat, rem cogitando ſępius dilatam hunc poſtremò in modū exequitur: Ad menſis Octobris diē quintum & vigeſimū, anni milleſimi quingenteſimi quinti & quinquageſimi, vniuerſarum Prouinciarū ordinibus, maiorumq. gentium nobilitati Bruxellæ diem Cæſar dicit; die conſtituta, hora tertia pomeridiana delegati, cæterique honeſtiſſimorum ordinū viri Palatium conſcendunt, ibi tum Cæſar, Philippo filio Rege Angliæ Maria Hungariæ Regina, ſorore comitatus Palatij maiore atrio incredibili hominum veneratione exceptus, conſcenſa ſede, Philibertum à Bruxellis Senatorem concilij Status, ſigno dato loqui in hanc ſententiam iubet: Vt maximè quæ proponi his comitiis oporteret, iam antè ex Cæſaris epiſtolis intellexeritis, tamen quòd id Cæſar iubeat, cauſam ampliſſimi conuentus denuo ſum vobis explicaturus. Iam inde ab eo tempore, quo Cæſarem auus Maximilianus emancipauit, atque has, quarum legati aduenistis, prouincias imperio Cæſar adminiſtrauit, fuit hoc Cæſaris continuum ac perpetuum ſtudium, vti quarum ditionum curam à Deo accepiſſet, eas & æquiſſimis legibus ſanctè procuraret, & pro earum ſalute incredibili ſollicitudine laboraret: mul-

*Cæſar de Belgij imperio decedit.*

*Oratio Philiberti à Bruxellis ad Ordines.*

multis grauiſſimisque teſtimoniis hanc ſuam præclarã in ſubditos voluntatem Cęſar eſt teſtatus. Nulla enim fuit illius tam afflicta valetudo, nulla tam res incœpta ardua, exitu difficilis, nullum iter tam impeditum, nullæ tantæ rerum difficultates, quas non etiam pro optimorum ſubditorum ſalute cõtemneret. Fecit id Cæſar cùm maiorum exemplo, tum ſuo ingenio: natum enim ſe ortumque hiſce ditionibus recordabatur, officiique id à ſe ſui ratio, ſubditorúmque præclara virtus poſtulabat. Grauiſſima certè cæterorum imperiorũ negocia ſemper extiterunt, multæque vti iis locis moraretur cauſæ ſæpenumero flagitârunt, tamen quòd vos vnicè diligeret, quòd veſtras commoditates ſuis potiores exiſtimaret, harum ſibi prouinciarum curam præcipuam ſemper putauit, hanc de cogitatione neque præſens neque abſens vllo vnquam tempore depoſuit, vobiſcum & diutiſſimè ſemper fuit, & cùm diſcedere eſt coactus, citiſſimè ad vos libentiſſiméq. eſt reuerſus. magna ſunt iſta Cæſaris in vos merita, ſed quorum tam Cæſarem non pœniteat, vti ſi votis res humanæ geri poſſint, hoc fuerit Deum Cæſar rogaturus, vti hanc ſuam curam, hoc ſuum in vos officium ad extremum tenere permitteretur. Verùm cùm tot pro vobis ſuſceptis laboribus exhauſtæ vires ſufficere rebus agendis minus poſſint, neceſſariò faciendum Cæſari fuit, vti & ſe iis negotiis eximeret, quibus ſupereſſe pro voto minus poſſet, & vobis quorum ſaluti ſtuderet, ea in poſterum conſilia ſubminiſtraret,

eum pro se Ducem atque Principem daret, cuius auspiciis fœlices viueretis. Annum iam duodecimum ab Hispaniis abest Cæsar, iustissimis Hispanorum precibus, quibus vt in Hispanias reuerteretur postulabatur: satisfacere idcirco minus potuit, quòd abesse à vobis sine ingenti vestro incommodo non posset. Valuit hactenus ea excusatio apud Hispanos, valere ob graues causas diutius non debet. Accedit, quòd quibus Cæsar conflictatur graues morbi ferre huius cæli intemperiem atque frigora minus possunt. Nauigare itaque hac hyeme in Hispanias, vosque Regi filio in fidam noui imperij tutelā dare constituit. Molestè diuelli sese à vobis Cęsar patitur: vna eum res solatur, quòd quos homines, quas prouincias enixè amat, de quorū salute tam semper anxiè cogitat, eos homines, eas prouincias transire ab optimo suo imperio in æquissimam Regis filij tutelam, coràm intuetur. Magna sunt regnorū pericula, cùm adhiberi ad supremarum dignitatum administrationem adolescentes rerum imperitos Principes contingit: ea pericula ne acciderent, & singulari Dei beneficio, & Cæsaris prudentia est effectum. Iampridem tot negotiis addidicit, quàm sit res grauis imperare, quàm ea res addisci neque subitò possit, neque tardè cum subditorum iniuria debeat: fecit itaque Cæsar vti nonnulla Regi filio imperia atque regna traderet, eius virtutem prudentiámq; paucorum regnorum administratione exerceret, ne si semel vno veluti pondere in insuetos humeros tot ditiones, prouinciæque incumberent, pares ferendo

ferendo non existerent: præclaram certámque horum regnorum administratione suarum virtutum fidem Rex fecit. Æratem eam quoq; Rex est adeptus, vt metui iuuenilis ætatis peccata non oporteat. Quod igitur Regi in æternum salutare, vobis, Prouinciisque fœlix sit atque faustum, omnibus se Cæsar prouinciis, totóq; Belgio abdicat, iuratam sibi fidem remittit, Religione absoluit, quo iure hæ prouinciæ ditionésque nunc ad Cæsarem, eo mortuo ad Regem filium pertinent, eo iure filio coràm assidenti has prouincias, ditiones, earum possessionem, vobis præsentibus Cæsar tradit. Vestri itaque erit officij, vt qui non ita pridem ea apud Regem sacramenta dixistis, quæ Cæsare mortuo præstaretis, vti Cæsare imperio cedente, non iam ea dilato sed præsente die Regi exhibeatis. Fuit equidem ea semper præclara Cæsaris voluntas, id eius in vos studium, vt quas in commune res vtiles vel ipse cogitando inuenisset, vel viri prudentes consilio subministrâssent, vel Regina soror magno studio prudentiáque in medium attulisset, eas vniuersas harum prouinciarum commodis impēderet: eo studio si quod voluit non est Cæsar consecutus, hoc equidem vel grauissimis Cæsaris negociis, vel acutis eius morbis acceptum ferre vos oportet. Nihil enim æquè optauit semper, ac de vobis tam sibi charis hominibus, ea constāte ac perpetua in se fide, optimè mereri: operá, consilium, pecunias & sæpe & liberaliter præbuistis, pro tantis in se meritis immensas vobis agit gratias: pecunias multas numerastis, plures etiam à

cæte-

cæteris ſuis prouinciis atque regnis acceptas in harum prouinciarum tutelam collocauit,quibus nominibus tanta pecunia ſit expenſa ipſi tenetis. Dolet Cæſari,impetrari iis pecuniis non potuiſſe, vti antequam in Hiſpanias proficiſceretur, vacuam à bellis regionem haberetis. Nulla eſt hac in re Cæſaris culpa; alienam præſtare minus poteſt; Regina Hungariæ poſtremis comitiis rem vniuerſam vobis explicauit: facilis de hoſte victoria eſt futura,ſi Regi bonam in hoſte coërcendo operam præbebitis. Iam illud vos Cæſar ſeriò monet, illud pro ſuo in vos amore tenere vos ſingulari conſtantia in æternum hortatur & iubet: Summi Dei ſacrum cultum retinete: Sacroſanctam Sanctæ matri Eccleſiæ obſeruantiam, Catholicæ Religioni fidem exhibete: Leges colite quibus hæreticorum hominum temeritatem Cæſar coërcuit. Diſcedere vos ab his Cæſaris monitis non oportet, ſunt enim vicinorum regnorum in illuſtri loco exempla collocata, quorum ſi pœnam timetis, certè culpam abominari eſt neceſſe. Eſt enim illa æterni Dei
» certa atque immota ſententia; Frui eos diu bonis non poſſe, qui boni largitorem Deum negligerent. Acturus eſt hac de re cum Rege filio Cæſar, huic res ea curæ item eſt futura. Poſtremò (quòd ſingulæ prouinciæ non niſi vnius corporis multa membra exiſtant) diſſidiis atque odiis abſtinete: Concordiam tenete! Id ſi feceritis, inuicti; ſin contempſeritis, omnium etiam minutiſſimorum hoſtium iniuriis obnoxiæ prouinciæ ſunt futuræ. Quæ cùm in hanc ſententiā Bruxella reci-

recitâſſet, finemque ſermonis eum feciſſet, vti officij in Regem ſui homines commonefaceret, multaque de optimi noui Principis præſtãte voluntate polliceretur, tum Cæſar in hanc ſententiam Bruxellæ ſermonem eſt proſecutus: Licet Bruxellæ de hac mea ceſſione ea dixerit, quæ mandâram, nonnulla tamen & mihi occurrunt: Pridie poſtremi feſti Epiphaniæ annus finiebatur quadrageſimus, ex quo auus me meus Cæſar hoc loco, atq. iſta penè hora annos tum natum quindecim emãcipauit: Anno inſequente, annis abhinc vndequadraginta mortuus eſt auus meus Rex catholicus: eo mortuo, cùm mater morbo impediretur quò minus regnum procuraret, annis ab hinc duodequadraginta per hoc noſtrum mare primò in Hiſpanias nauigaui. Annus eſt ſextus & trigeſimus, ex quo mortuus eſt auus meus Cæſar Maximilianus, eo mortuo Imperij dignitatem non glorię, at eo ſtudio ambiui, vt quæ haberem regna, & in his has veſtras prouincias, eo melius ſecuriúsque procurarem. Hoc me ſtudio incenſum multas ſuſcipere expeditiones, profectionésq. res coëgit. nouem in Germaniam: ſex in Hiſpanias: ſeptem in Italiam: decem in has prouincias: quatuor pace & bello in Gallias: binas in Angliam: binas in Africam, quæ ſunt in vniuerſum itinera quadraginta: Horum gratia octies mihi fuit nauigandum mare mediterraneum, ter hic noſter Oceanus, quem nunc quartùm cogito. His meis profectionibus, neque illã quam per Gallias in has prouincias ob quædam illthic exorta nõ leuẽ, aut paruis de cauſis ſuſcepi,

Oratio Cæſaris ad Ordines.

neque cæteras annumero, cùm in diuersas meas prouincias Insulasque sum profectus. His negotiis profectionibusque impeditum, abesse cùm cæteris meis regnis, tum hisce me prouinciis sæpenumero fuit necesse. ea res vti ne damno vobis existeret, Reginam sororem hic coràm considentem summæ rerum præfeci, quæ qualem se præstiterit, quos potius quàm vos sum testes citaturus? Bella quoque toto hoc tempore permulta gerere, non animi mei sententia, sed hostium me iniquitas coëgit, tam me eam miseram rerum faciem non flagitante, vt nulla nunc mihi discedenti molesta æquè res existat, atque istud quod restat bellum componi nō potuisse: quod intellexisse vos è sorore Regina postremis Comitiis equidem existimo. Quàm mihi tot regnorum, tot bellorum cura grauis extiterit, & hac quam videtis mea valetudine, & suo quisque iudicio facilè æstimant. Sæpius itaque cùm in eam cogitationem incidissem, vt & deesse mihi multa intelligerem, quæ tantarum rerum curæ conuenirent, discedereque eo me munere debere existimarem, cui satisfacere minus possem, graues nihilominus cur sequi hūc animi mei sensum minus liceret eæ sese rationes obtulerunt: Quòd neque matris valetudo, neque filij immatura ætas, pati hoc meum cōsilium posse viderentur. Dilata itaque est à me ista cogitatio, inde denuo repetita, cùm postremò hinc in Germaniam sum profectus. Verùm agitantem tum me ista consilia, & valetudo multò quàm nunc est firmior, & turbatæ vndique res ab instituto reuocârunt.

Metim

Metim itaque incommodo anni tempore ſum aggreſſus, probare enim imperio meam fidẽ cupiebam: inde domum ad vos reuerſus Morinum atque Heſdinum expugnaui: Regem Galliarum in has noſtras prouincias tranſgreſſum magnis ſum itineribus inſecutus. Is cũ pugnandi copiam nullam faceret,& Valẽcenis diu ſubſtitiſſem, tum anno inſequẽte Marieburgo ab hoſte occupato, veni Namurcum, inde in hoſtẽ progreſſus Renteum obſidione liberaui, cæteraque ea geſſi, quibus neque plura, neq. maiora potuiſſe equidem dolet. Atque hæc ego, quãdiu licuit, at nunc cùm morbis ingraueſcentibus ſufficere valetudo nullam in partẽ poteſt, cùm mater eſt mea defuncta, filius ea eſt ætate, vt ſufficere per ſe curis publicis poſſit, differre hoc iampridem animo meditatum me conſilium diutius non oportuit. Vos itaque quo me patrem, eodem hunc meũ filium officio ſtudióque excipite: de me ita iudicate: Non ignauiam cur de imperio decederem, ſed hanc vnam mihi cauſam extitiſſe, quòd vererer vti me impedito damnũ Reſp. acciperet. Noſtri itaq. memoriam retinete, illaq. noſtra monita animo circũferte, quibus de concordia retinenda, iuſtitia colenda, Religione catholica cõſeruanda, hæreticis profligandis, ſumus cohortati. Quæ cùm Cæſar hunc in modũ dixiſſet, tum magno innocẽtiæ teſtimonio, celeberrimo hominũ conſeſſu id affirmauit: Multorũ ſe ſuorum peccatorũ recordari, multa iuuenili, multa reliqua ætate à ſe commiſſa, quorũ pœniteret, id nihilominus ſe profiteri, eorum qui adeſſent, quorum nomine veniſſent

nulli se iniuriam, damnum, vim fecisse: ea in re si erraret, si iniuria læsus quis extitisset, eam se iniuriam ignorantem dedisse, eiusque se culpæ veniam deprecari. Hinc ad Regem conuersus sui eum officij cõmonefecit, subditósque eius fidei tutelæque commendauit. Atque hęc tum Cæsar: quę maioréne hominum admiratione, an stupore audirentur difficulter dixerim: erat enim (vti accepimus) quidam veluti extra se positorũ hominum commoti animi stupor: neque vllus toto eo conuentu tam obfirmato animo tum est inuentus, qui non etiam profusis lachrymis ploraret. Erat enim supra quàm credere posteritas facilè queat, incredibilis cum veneratione obseruantiaque in Cæsarem voluntas. Cùm itaq. hæc Cæsar dixisset, tum surgens Rex de solio patri ad pedes advoluitur, amplexatur filium canus atque omnium penè membrorum vsu destitutus Cęsar pater, filiúmque redire in eum vnde venerat locum iubet. Inde pro toto eo conuentu, Doctor Masius vrbis Antuerpiæ (vt loquimur) Pensionarius, ita Cæsari respondet, vt de Ordinum in Cęsarem obseruantia, de maximis Cæsaris in se meritis, de dolore quem ex hoc discessu immensum caperent nonnulla præfatus, in eam sententiam sermonem deduceret, vti parêre rerum necessitati Ordines affirmaret: hinc de Ordinũ in Regem studio, de Regis quam sperarẽt beneuolentia nonnulla prolocutus, in eum sermonem ingrederetur, vt ærarij difficultates subleuari aliorum regnorum vectigalibus postularet, profectionem differri in proximã veris tempestatem obse-

*Doctor Masius pro Ordinibus Cæsari respõdet.*

obſecraret, Cæſaris monitis parituros Ordines affirmaret, Religionemq. eò maiore ſtudio conſeruaturos aſſeueraret, quòd ad animarum ſalutem, ad publicam rerum quietem, Religionis tutelam pertineret. Sermonem poſtremò vniuerſum iis verbis finiret, quibus fauſtis acclamationibus Cæſari profecturo bene ominaretur. Quæ cùm longa oratione ſunt à Maſio recitata, tum Antonius Perrenottus Granuellanus Epiſcopus Atrebatenſis Regis mandatu, de Regis in patrem obſequio, ſubditóſque voluntate, ea eſt locutus, quibus ſuſcipere prouincias Regẽ profiteretur, ſubditíſq. æquiſſimi imperij leges polliceretur. Inde Hungariæ Regina, omnium quæ retrò extiterunt, & quæ fortè ſunt futuræ, laudatiſſima domi, prudentiſſima in imperio Regina, modeſta oratione de annis quinque & viginti, quibus Belgio præfuiſſet, ea dicere eſt aggreſſa, quæ & Cæſar laudaret, & prouinciis ingens Reginæ deſiderium relinquerent. Fuerat equidem ſeuerius Reginę Imperium quàm ſexui conueniret, tamen quòd iuſtum extitiſſet, quódque amâſſe ſubditos crederetur, præclara hominum de Regina iudicia ferebantur. Hunc itaque in modum orbe admirante, quod ante eum diem Chriſtianus Princeps fecerat nemo, omniũ ſeſe prouinciarum imperiis Cæſar abdicauit. Non ſatiari adeò honoribus mens humana poteſt: Neque ea demum beata eſt atque fœlix vita, quæ maiore hominum luce, multis titulis atque opibus ſuperba ingreditur; ſed quæ tranquilliore animi ſtatu, & humana fortiùs contemnit, & de

*Antonius Perrenottus Epiſcopus Atrebatẽſis pro Rege ordines alloquitur.*

*Maria Regina Hungarię ad ordines oratio.*

 morien-

moriendi necessitate sanctiùs cogitat. Vt igitur vnde discessit, reuertatur narratio, bellorum Cæsarem tædebat, Henricum non item. Maria Angliæ Regina Regis vxor per Reginaldum Polum Cardinalem de pace agere instituerat: non successerat negotium, Cęsare nihilominus profecto, quòd pacis æterna fœdera maiores rerum difficultates continere dicerentur, quàm vt expediri facilè possent; pacem nihilominus ferre Reges posse crederētur, de induciis agi cœptũ. Delecti huic negocio, Carolus Comes Lalaignij, Simon Regnardus Burgundus, qui legationes in Galliis nonnullas obierat, & is quem dicebamus Bruxella, inducias cum Gallis in annos quinque paciscuntur. Non placent Regi in quas legati consenserant conditiones: in Regnardum ea culpa confertur, suspectam hominis fidem Rex clàm accusat, occulta veterum legationum consilia notantur, mãdatis non paruisse affirmatur. Indignè eam contumeliam fert Regnardus, Episcopum Atrebatensem qui auctoritate atque gratia apud Regem plurimùm valebat, de alienata à se Regis voluntate accusat: latè ea dissidia progrediuntur: transit in simultates Comes Lalaignius, quòd verbo se Regnardus, re eum peti affirmaret, qui legationis Princeps atque Dux extitisset, hinc à Lalaignio ad Philippum Montmorantium Hornæ Comitem (cuius sororem Lalaignius in matrimonio habebat) quadam veluti contagione eorum dissidiorum ignes peruadũt, occulti tum illi, & qui frequentibus aulæ odiis, inuidiæq. Palatiorũ Reginæ vulgò tribuerētur,

*Induciæ quinquēnales Regum Philippi & Henrici.*

*Occasione istarũ induciarum simultates inter Episcopum Atrebatensem, Comitem Lalaignij & Simonem Regnardum.*

maximorum nihilominus grauissimorumque in posterum motuum causæ existerent. Vixdum annum induciæ constiterant, cùm & Frãciscus Lotaringus Dux Guisius expeditione in Italiã susceptã, Caraffeos Regi repugnantes tueri aggreditur, & Casparus Colligni, maris Gallici Admirallus subita eruptione Duacum tentat, inde ea spe exclusus belloque repetito Lensium Artesiæ vrbem expugnat. Violatis itaq. induciis, magnis vtrinque conscriptis exercitibus, multò quã antè grauiore motu bellum restauratur: Prior Gallias Rex ingreditur, vrbes Picardiæ nonnullas expugnat, inde Sanctiquintinũ celebrẽ eius orę ciuitatem aggreditur. Philibertus Emanuel Dux Sabaudię ditionibus imperioq. à Gallis deiectus supremum in Regis exercitu imperiũ tenebat: ad primam noui Regis militiã ingens nobilitas cõfluxerat, equitũ peditũq. lectissimæ copiæ ingẽtem exercitum confecerãt. Annas Montmorãtius Galliæ Connestablius totius penę Galliæ nobilitate comitatus, ingẽti & ipse exercitu cõparato, liberare vrbem obsidione aggreditur, aduentanti ad 4. Idus Augusti, die B. Laurẽtio sacra, anno M. D. LVII. obuiã Dux proficiscitur: pugnatur eo euentu, vti exercitu Gallico deleto, Cõnestablius, eius liberi, frequẽs atq. opulenta nobilitas in hostium potestatem deuenirẽt: inde Rege victorẽ exercitum ingresso, vrbs expugnaretur, Admirallius qui summũ in vrbe imperiũ tenebat, caperetur: Hinc metũ eum Gallia cõciperet, vt Parisiis, toto adeò regno incredibili animorũ cõsternatione trepidaretur, neque antę ex eo se metu Gallia colligeret,

*Induciæ violãtur.*

*Obsidio Sancti Quintini.*

*Annas Montmorantius Gallię Cõnestablius casus.*

*Sãctoquintinum expugnatũ. Admirallius captus.*

*Gallorum de Caleto, Dunquerca, atque Bergis victoria.*

quàm reuersus ex Italia Guisius Caletum cæteráque eius oræ iuris Anglicani loca occuparet. Inde Duce domino Thermei in Flandriam Galli irrumperent, Dunquercam atque Bergas expugnarent, latissiméque totam eam regionem hostilem in modum popularétur. Magnos hinc sibi animos Galli assumunt, Anglos toto continente deiectos ad veteres terminos intra Oceanum compellunt. Non fert insolescentem fœlicitatem Deus, Amorallum Egmondæ Comitem & Pontum Lalaignium dominum Bignicourtij, Regios Duces in Gallos immittit, exercitū Gallorum cædit, vrbes Dunquercam atque Bergas restituit, Gallósque tota Flandria profligat: Ita in vicem variáte victorias atque clades fortuna, vti ne ad hominum vindíctam vltores deessent, neque vinci, neque vincere bellantes pateretur.

*Thermei, Galloru̅que ad Grauelingam cędes.*

Tædebat Reges tot bellorum, tot impensarum: Dux Sabaudię restitui imperio cupiebat, quo tot per annos exul caruisset Christierna Regis catholici ex amita Isabella consobrina, Dux Lotaringiæ, quòd inter pugnantes Reges, liberos, dignitatem, fortunas precariò teneret, componi rem flagitabat, Regum subditi id pervulgatum ferebant; Nulla salus bello, pacem te poscimus omnes: Regij exercitus vti fessi bellis, sic ad Ambianum fossis munitionibúsque vallati sedebant. Captiuus Cōnestablius (quo Rex Henricus perquàm familiariter vtebatur) de Regibus componendis sæpe multúmque loquebatur, Granuellanus & Orangius Regis mandatu Connestablij sermones blandè excipiebant: restabat. quòd

*Pax Gallica.*

quem

quem cui cedere priorem oporteret non inueniretur: quòd neq. id facere victorem Regem Philippum oporteret, neq. hanc in se suscipere contumeliam Rex Henricus vellet, vti ob accepta damna ambîsse alienam amicitiam videretur. Oportunè itaque Christierna est oblata, cuius filius Claudiam Henrici filiā in matrimonio habebat, & ad Regem Philippum, ita vt ostēdimus, arctè attinebat; ea itaque procurante, colloquio Cericampum monasterium Cistersiēse ad Artesiæ & Picardiæ limitem dies dicitur: Veniunt eò à Rege catholico Legati: Antonius Perrenottus Granuellanus, Episcopus Atrebatensis; Ferdinandus Aluarez à Toledo, Albæ Dux, Regij Palatij magister: Guilielmus Nassouius Orangij Princeps: Ruygomes de Sylua Comes Melitensis, Pincerna Regius, & Viglius Ayta Zuichemus, Præses concilij Priuati. A Rege Henrico, Carolus Lotaringus Cardinalis, Archiepiscopus Rhemensis; Ioannes Moruillerius Episcopus Aurelianensis: Annas Montmorantius Franciæ Connestablius: Iacobus Dalbō Dominus Sācti Andreæ, Franciæ Marischalcus, & Claudius Laubespineus. Magna hominum expectatione res suscipitur, diu in commune deliberatur, nisi Duce Sabaudo restituto, satisfieri Regi Catholico non poterat, decedere tot tam oportunis ditionibus graue Regi Henrico existebat: multis itaque altercationibus in id tempus res extrahitur, dum Maria Angliæ Regina moritur: turbat ea res Regum consilia, re infecta disceditur, instat nihilominus operi Christierna, atque in annum *Maria Angliæ Regina moritur.*

C iiij sequen-

ſequentem eoſdem legatos Cameraceſium adducit, melioréq. quàm antè ſucceſſu eò rem perducit, vt tertio Non. April. anno M. D. LIX. æterna Regum gloria in pacem conſentiretur, quæ cùm vtrique honeſta, tum Regi catholico cõmodiſſima honeſtiſſimaque fuiſſe exiſtimatur, cuius rei prolixior eſt narratio, quàm vt explicari à nobis iſto loco debeat. Fœdere promulgato, vti aurei ſæculi poſtliminio, ſic ad omnem lætitiam effuſis hominum animis, ludis, ignibus, conuiuiis læti toto Belgio, Galliáque complures dies exiguntur. Hinc vti fœdere conuenerat, quod reſtituere priorem Regem Galliarum oporteret, vades Lutetiam Albanus, Orangius, Egmondanus, Hornanúsque proficiſcuntur: Elizabetham Henrici filiam Regi Philippo ſponſam Albanus ſtipulatur: Margaretam Henrici ſororem Dux Sabaudiæ vxorem ducit: ingens toto regno excita nobilitas ad nouas nuptias Lutetiam proficiſcitur: Regem (ſiue id veteri ſuæ in Reges fidei, ſiue id illius meritis darent) ingens fauentium hominum ſtudium conſequitur: Ludi ab arguta gente complures inſtituuntur. Rex qui vni noſtris moribus præclari atque ingenui ludi prædicantur, equeſtres decurſus, pugnasque indicit: Reginis, Regiis liberis, proceribúsque inſpectantibus ad vicum Antonianum concurritur. Multæ (vt aſſolent) toto biduo pugnantium curæ, multæ applaudentium concertationes apud Regem vt olympicis, ſic eorum dierum ſummum decus: Die tertio ludorum (erat is menſis Iulij dies decimus) quem grauis æſtus moleſ-

*Pacis Cameraceſia promulgatio.*

*Elizabetha Henrici filia Regi Philippo ſpondetur. Margareta Henrici ſoror Duci Sabaudiæ.*

*Mors Regis Henrici.*

molestum effecerat, procedit denuo in arenam Rex Henricus, victor reuocari à certamine non potest, rogant vxor, Sabaudus, Connestablius de ludo decedat; sat gloriæ, sat datum amicitiæ, daret quod peteretur valetudini, daret Reginis, daret matronis petentibus, ea lege Rex assentitur, antè vti semel Mongommerius secum decurrat (erat is præfectus Regiorum excubitorum) recusat Mongommerius: equum, lassitudinem causatur, excusationem Rex non accipit, concurritur, Mongommerij lanceam pectore Rex excipit, confractæ lanceæ frustum in Regis galeam minus accuratè occlusam eo se fert impetu, vt oculo perfosso, vicinisque cerebri partibus laceratis, quinto die pòst Rex moreretur, tanta adeò celeritate amplissimi Regni Rex, tot liberorum pater, Maximorum Principum socer, ætate vegeta, firma valetudine, insperato è summo lætitiæ gradu, populorum gentiumque gratulatione, maximarum rerum spe, in charissimorum liberorum, coniugisque aspectu, per speciem gratissimorum ludorum, per manus obsequentis ministri, in extremas rerum humanarum calamitates prolabitur. Succedit patri Rex Franciscus, cuius imperium ea tempora exceperunt, quibus de Religione, de summa Regni, de Regis salute, per pessimorum hominum conatus res tota Gallia laboraret. Manebat idem fatum Belgarum ditiones, sed quas eò grauiùs in ruinam procumbere oporteret, quò diutius malè suffultæ per occultos cuniculos lentiùs subuerterentur, *Rex Galliarum Fräciscus.*

Hunc itaque in modum diu exoptatam orbi pacem Reges procurârant, Germania fessa bellis optimi Principis Ferdinandi Cæsaris tranquillum imperium sequebatur: Italia Paulo quarto Caraffa mortuo, nepotibúsque Caraffeis exauctoratis conquiêrat: Elizabetha Henrici octaui ex Anna Bolenia filia Mariæ sorori in Regnum Angliæ successerat, pactísque de Caleto cum Gallis consenserat, neque bellum suscipere idcirco facilè poterat, quòd de mutanda per Angliam religione consilia animo versaret. Quòd itaque tot retrò sæculis postulabatur, terra atque mari Christianus orbis bellis vacabat. Vnis hæreticis (qui latè extra Italiam atque Hispaniam toto orbe reliquo ferebantur) ea Regum cōcordia displicebat: siue quòd Regum fœdere de Religione Catholica restituenda, concilióque generali indicendo nominatim caueretur: Siue quòd odiis, dissensionibúsque exorti, bellis enutriti, minus sese tutos pace arbitrarentur: Siue quòd ea esset postremò ingeniorũ intemperies, ea sæculi calamitas, vt ferre rerum quietem homines non possent. Et quidem Gallia vna iactabatur Sacramentaria factione: eius Dux atque Princeps erat Ioannes Caluinus, Picardus, Nouiodunensis, qui rem ab Heluetiis agitatam, & scriptis ornârat, & ingenio cultiorem, gratiorémque vulgo effecerat. Magna erat omnino tota Gallia veteris moris Religionísque obseruantia, præ qua cōtemni cæterorum hominum studia haud difficulter poterant: verùm cùm ea existeret hominũ eo regno impietas, vt ambitionis atque

*Pax totius Orbis Christiani.*

*Hæreses in Belgio.*

atque gloriæ priuata consilia diuinarum publicarúmque rerum curæ præferrent; cùm dominatum malis artibus tuerentur, qui bonis non assuêssent, magna præclarissimi Regni cum cõtumelia est effectum, vti maiorem quàm saluti conueniret auctoritatem ea factio per Gallias inueniret. Per ditiones Regis catholici Germaniæ inferioris tres omnino Religionum factiones grassabantur: Luteranorum, Caluinistarum & Anabaptistarum: E Germania Lutherani: E Galliis Caluinistæ: E VVestphalia Frisiaque Orientali Anabaptistæ in Belgium diuturnis Regum bellis mercatorumq; studiis atque opibus transierant. Luterana factio à Martino Lutero exorta, infesta vicinis Germaniæ ditionibus nonnullos initio sectatores odio rerum præsentium, veterisque Religionis ignorantia inuenerat, hinc cùm Luterana factio in partes discessit, diu nihilominus penes vniuersos à Religione Catholica dissidentes homines, infausta Luterani nominis compellatio permansit. Pôst cùm in aperta dissidia res euasit, cùm à Lutero Sacramẽtarij doctrina, ritibus moribúsque discesserunt, cùm conuentus seorsum habere, Luteranis palàm renunciare, nouæque secessionis summum se Ducem Caluinus profiteri est aggressus, tum Lutero deserto ad Caluinum trãsire palàm homines cœperunt. Semel enim animis de statu dimotis nullus iam insaniæ constitui modus poterat, quòd cur indies maiore hominum frequentia fieret, ea de causa accidebat, quòd Luterus, vt Epicurus inani Deorum metu, sic hominum sese animos

Luterani.

Caluinistæ.

Papisti-

Papisticarum legum superstitione exoluisse gloriaretur. Leges interea (quibus metu nouæ à se cõfictæ Religionis homines obstringeret) nullas substitueret, hinc illud accideret, vti minore cum obseruantia ea Religio coleretur, quæ seuerioris disciplinæ metũ nullũ haberet: Animaduersa est ea res à Caluinistis, multaq. sunt ab iis cautè constituta, quibus homines metu in quo vellẽt officio continerent, collegia ministrorũ, Seniorum, Diaconorũ constituta, Cõsistoria ea compellata, hisce censorum seuera autoritas attributa, excõmunicatio in cõuentibus retẽta, Synodorum disciplina suscepta, cæteráque eius generis multa inuẽta, quibus singulari pietatis simulatione auctoritatẽ tenerent. Sic enim intelligebant è tanto hominũ numero perpaucos reperiri, apud quos non plus metus, quã sine metu charitas, solaque officij ratio valeret. Huic rationi accessit altera, quòd rẽ eam oppugnandã sibi Sacramẽtarij sumpsissent, quę vna tota Religione Christiana lõgissimè ab hominũ sensu dissidebat. Cùm itaq. de re constãte orbis fide, tot retrò sæculis culta, multa impiè fucato ad pietatẽ sermone dicere Caluinus incepit, arduam nihilominus, & quę hominũ ingenia cogitando torquebat, Sacramenti veritatẽ eleuauit, tũ id vulgo fuit gratiosum, ita pietatem tenere se posse, vti credere tantas, tam arduas res non oporteret. Cùm itaque hoc vinculum charitatis, hunc cælestem panẽ, qui omnes toto orbe Christianos vnũ corpus faciebat, qui de vno corpore quod est Christus comedebãt & viuebant, conuellere mali homines cœperunt, tum in graui-

uiſſimas ſeditiones diſcedere eum populum fuit neceſſe,qui illi,in quo ſolo eſt cõcordia,nulloiam vinculo iungeretur. Quibus gradibus,quibus autoribus,cú ſemel eam ingeniis viam Luterus aperuit,vt quę vellent,profiteri de Religione homines auderẽt,in eam ſit hominũ temeritatẽ deuentum, vt modò hoc Oecolampadius, modò illud Zvvinglius, Heluetijq́. hinc iſta poſtremò quæ laudarẽtur Caluinus doceret,lõgiùs eſt quàm vt huic noſtro inſtituto cõueniat. Memini me videre quandá ab huius ſtudij homine conſcriptá hiſtoriam Saçramẽtariam,quæ primorũ auctorum anxias de re grauiſſima cogitationes, hinc vt in flumine tentatũ vadum, ſic cũ certis hominibus ſuſceptas deliberationes,hinc audaces in publicũ voces,hinc eaſdẽ ad hominum applauſum, variè nunc in hanc,nunc in illá ſententiam cõmutatas, cõtineret:illá poſtremò omnibus numeris abſolutam Caluini doctriná vti cælo acceptá ſic laudibus cumularet: tãta adeò impietate,vt de ſcitis Philoſophorũ, ſic de ſummis Religionis capitibus pro ingenio libidinéq. homines concertant. Succeſſerat itaque Lutero Caluinus,Luterani nihilominus qui in confeſſionem Auguſtaná iurâſſent nõnulli reperiebãtur. Anabaptiſtas cõplures habebãt Phriſia,Hollãdia,Zelandia,Flandria,genus hominũ obſcurum,ſed quod damnata ſuperſtitione longiſſimè à Catholica Religione diſcederet,eadem quę Luterum Saxonia,eam peſtẽ in orbẽ prima inuexerat. Cũ enim eũ in modũ concionantẽ per ea loca Luterũ homines audirẽt,vti totá quàm latè pateret orbis eccleſiá,nõ Chriſti, *Anabaptiſtæ.*

ſed

ſed diaboli atque Antichriſti eccleſiam eſſe profiteretur, multaque (vti credebatur) nouus Propheta de libertate Chriſtiana, de ſeruitute Babylonica, vulgo magna cum laude atque hominum admiratione cõmemoraret, tum anno M. D. XXI. Duce Nicolao Storckio, ij ſe homines per Saxoniam oſtenderunt, qui nouum mundum in quo iuſtitia eſſet habitatura inſtare affirmarent, multa quoque immitti ſibi à Deo ſomnia, multa viſa affirmarent, quibus imperaretur, vti Antichriſti eccleſia excederent, nouo atque immaculato Baptiſmo, nouam vitæ ſanctitatem ingrederentur, impios qui eo Baptiſmo non eſſent initiati de mundo auferrent. Nicolao Storckio accedunt Thomas Mützerus, Balthaſar Hobmaierus, Melchior Satelare, Melchior Rinxius, Ioannes Hut, Ioannes Denkius. Omnibus vnus eſt atque idem ſermo; de charitate, de fide, de bonis operibus, de timore Domini, de carnis mortificatione, de cruce: Vultus ad ſeueræ pietatis mores compoſitus, conciones in Epiſcopos, in Principes, in magiſtratus acerbæ. Thomas Muntzerus inter factionis Principes vnus eminebat; huic de mortificatione perpetuus erat ſermo, eam hiſce rebus definiebat: Peccata nulla committerent, ieiunarent, nulla ſe ſumptuoſa veſte induerent, vultum ſeuerum haberent, parum loquerentur, barbam geſtarent. Adijciebat, ſecedere ita informatos homines à reliqua vulgi multitudine ſæpius debere, in ea ſolitudine eas de Deo cogitationes inire debere: Qualis eſſet Deus: Noſtríne curã gereret: Pro nobíſne paſſus ſit Chriſtus: Noſtráne

Reli-


Religio Turcarum religione melior existat,signa harum rerum postulari ea solitudine à Deo deberi, si signa subitò nulla dantur, precibus vrgere apud Deum rem oportere, si diutius differat, expostulandum esse seriò cum eo,qui dixit: Petite & dabitur vobis. Pergratum Deo eum zelum atque animi ardorem existere, daturumque certò iis signa, qui isto modo studiosè peterēt,eundem enim nūc esse Deum, qui Patribus ista præstitisset. De somniis id aiebat,hoc esse vnum diuinæ voluntatis certum testimonium, sine quo suscipere rem grauem nullam oporteret. Fredericus Dux Saxoniæ Lutero auctore cōsistere suis ditionibus hosce homines iure, vti aiebat in Papistas commotiores patiebatur. Verùm cùm eo est Mūtzerus progressus,vti datum sibi à Deo gladiū Gedeonis ad profligandos infideles Principes & magistratus palàm profiteretur,delectus discipulorum habere inciperet, sacramentis homines in sacræ atque à Deo imperatæ militiæ societatem adigeret,tum qui sibi quàm Deo magis metueret.Fredericus excedere Saxonia Muntzerum coëgit.Norimbergæ itaq. per aliquos menses latet Muntzerus, inde Mulhusij vrbe Turingiæ receptus religione catholica profligata,monachis eiectis, Senatu per tumultum abrogato supremum Religionis atque imperij sese ducem ea vrbe profitetur, sententias è Bibliis pronunciat, Bibliorum interpretationem somniis acceptam refert, ad bonorum communionem quæ fuisset Hierosolymis primis nascētis ecclesiæ tēporibus cohortatur : Principibus magistratibusque

busque qui à se dissentirent exitium comminatur: hinc maiora ausus socio quodam Phisero, ingentes rusticorũ copias in aciem educit, notúmque omnibus historiis bellum rusticum auspicatur ea Germaniæ calamitate, vti periisse iis motibus centena hominum millia ferãtur. Muntzero Phiseróque sublatis transit in Germaniã inferiorem ad annum millesimum quingentesimum secundũ & trigesimum quidã Melchior Hofmannus, qui poliendis pellibus vitam duceret, homo phanaticus: hic nouæ atq. admirãdæ pietatis nouam speciem professus, cum supremum Dei Spiritum Pentecostalem habere se affirmat, qui nisi præclaro Dei beneficio sibi, suíque similibus donaretur, quíque quinquagesimo à resurrectione Christi die admiranda in Apostolis fuisset operatus. Discipulos itaq. hic Hofmãnus ita nõnullos cogit, vt Monasterij VVestphaliç metropoli quidam Bernardus Rotmãnus sit inuentus, qui Luteri disciplinam, quam tuẽdam initio susceperat, in Anabaptistarum insaniam cõmutaret: Veniret quoque in eam vrbem quidam Hermannus Stapredius, discipulus Henrici Rollij, in quem Vltratraiecti morte fuerat animaduersum, & Leida vrbe Hollãdiæ quidam Ioannes Boeckel sartor, Bernardus Cnipperdolling, Gerardus Cippenbrocq, Bernardus Chrechting, hominésne an humana forma dæmones difficulter dixerim.
Magistratus ad Rotmanni aduentum fauisse nouis studiis prædicabatur, iure itaq. accidere oportebat vti primus pœnas daret. Egrediuntur occultis ædibus Anabaptistæ, in vicos se proripiũt
ingenti

ingenti eiulatu, ſeuero vultu omnibus compitis proclamant: Væ, væ: Agite pœnitentiam: Baptizamini, ira Dei ſuper infideles: ira Dei ſuper impios: Diſcedite, fugite ab ira ventura. Hiſce vocibus conterritos nonnullos in ſocietatem, plures in fugam conijciunt, fugientium bona inuadunt, magiſtratum viris bonis vrbe profligatis, pro arbitrio nouum conſtituunt: Summi Dei Prophetas Ioannes Mattheus Piſtor, Bocoldius & alij complures ſeſe oſtentant, oracula in vulgus varia proferuntur, bona priuatorum oraculorum auctoritate in ædes publicas convehuntur, præter Biblia libri cæteri exuruntur. Ridet eam hominum inſaniam quidam è vulgo Hubertus Trutelius, non fert eam iniuriam Ioannes Mattheus, prophetarum ſententia mortem Huberto indicit: nec mora, aſtantem Hubertum ferro transfodit, cadentem auferri imperat: dum aufertur, non moriturum Hubertum prophetiſat, moritur ille nihilominus. Hinc furiis agitatus tota vrbe longa haſta armatus Propheta diſcurrit, imperâſſe ſibi Deum affirmat, vti vrbe egreſſus hoſtiles copias, quibus vrbs obſideretur, iis armis vnus cæderet fugaretque: Egreditur Mattheus, atque in ipſo vrbis conſpectu ab obuio milite trucidatur, plorant ad tanti Prophetæ interitum miſeri diſcipuli. Bocoldius iampridem hunc illius obitum cælo denunciatum ſibi fuiſſe aſſeuerat, viduam quoque Matthei cælitùs vxorem ſibi deſtinatam oſtendit.

Addebat, velle Deum vti Cnipperdolingo consuli gladius porrigeretur, quo sua ipse manu carnifex in reos animaduerteret. Hinc maiora ausus Bocoldius, cùm triduo domi sese continuisset, progressus in publicum, loqui se qui visionem vidisset non posse signis profitetur, chartam postulat, ea duodecim à Patre cælesti delectos describit, qui Monasterium cælestem Hierosolymam imperio regerent: placet auctoritas: ad duodecimviros res transfertur. Paucis diebus pòst, accepisse se à Deo Patre ea mandata Bocoldius ostendit, quibus Patriarcharum exemplo ad propagandam Sanctam Sionis plebem, plures vni viro vxores permitterentur: Non probatur res concionatoribus, senatum itaque duodecimvirorum Bocoldius ingreditur, pallium librumque noui testamenti in terram proiicit, inde voce manibusque in cælum sublatis, per hæc signa iurat: Hæc sibi cælitus imperata, iis si parêre homines recusarent, iratum Deum futurum. Parent homini duodecimviri, legemque de pluribus ducendis vxoribus concionibus promulgant. Primus Bocoldius initio tres, pòst numero ad quindecim ducit vxores, sequūtur exemplum alij complures. Fiebāt ista Monasterij, dum vrbs ab Episcopo totius Germaniæ auctoritate atque imperio obsideretur; meliora nihilominus consilia obsessi non admittūt: procedit in publicum quidam nouus Propheta aurifaber, Ioānes Tuiscoscur, denunciata concione; Velle, ait, Patrem cælestem, vti Bocoldius totius orbis terrarum imperium in se suscipiat, malos Reges atque Prin-

Principes gladio interimat, iuſtis parcat, ſedem Dauid in æternum teneat, illud poſtremò cæleſte regnum auſpicetur, in quo impiis de terra deletis ſoli in perpetuum iuſti regnent. Ad hos Prophetæ ſermones reſpondet Bocoldius; Multo antè hæc ſe cælo reſponſa accepiſſe, maluiſſe nihilominus ab alio rem denunciari: paret itaque Prophetæ Bocoldius, duodecimviros imperio abdicat, veſtes ſplendidiſſimas, coronas ex auro binas, regale ſceptrum, torquem aureum, calcaria atque equorum inaurata frena, veſtes ſtragulas auro textas, cæteráque eius generis ornamenta aſſumit, in publicum ita progreditur, vti noua nobilitate comitatum equo inſidentes duo iuuenes præcederent, è quibus qui ad dexteram equitaret, manu coronam, Bibliáque: qui ad ſiniſtram, nudum gladium, cuius capulus totus eſſet aureus, multis vnionibus exornatus, geſtarent. Rex ipſe globum aureum duobus gladiis decuſſatim per globum tranſeuntibus ſceptrumq́ue manibus teneret: ex latere incederent ſatellites numero octo & viginti, veſtibus è viridi cæruleoq́ue diſtincti, è quibus viride terram, cæruleum cælum denotabat. Titulum diplomatibus atque edictis hunc aſcriberet; Nos Ioannes Dei gratia, per virtutem inſtantis noui Regni, in templo Dei Miniſter Iuſtitiæ. Cingulū Regium quo veſtis ſtringebatur, ea verba intexta habebat, quibus Dei virtutem, ſuam eſſe virtutem affirmaret. Sedes Regia altis gradibus conſcendebatur, ex eo loco iura ciuibus reddebat, circum eam ſedem Prophetæ vaticinabâtur, hominibus



ſpiritum ſanctum in os inflabant, coram Rege ſaltabant, legatos rege decernente in vniuerſum orbem terrarum dimittebant, legatis ea dabant mandata, vt quas vrbes ingrederentur, earum vrbium ciuibus pœnitentiam imperarent, non parentibus inſtantem iram Dei denunciarent. Longum eſt cætera noui Regni dedecora commemorare, quorum antè finem Rex nullum fecit, quàm vrbe ab Epiſcopo recuperata, meritas infandi ſceleris pœnas Rex & Prophetæ exoluerent. Sublatos Monaſterienſes Anabaptiſtas multi aliis paſſim locis excipiunt, quo in genere vnus cæterorum impietatem vicit Dauid Georgius Delfis vrbe Hollandiæ natus, ſculptor vitri, qui non, vti Bocoldius, Regem ſe Sionis, ſed ipſum ſe Dei filium, generis humani ſaluatorem Baſileæ eſt profeſſus. Atque hæc primi Anabaptiſtæ, quorum ea erat impietas, quæ nec perſuaderi hominibus facilè poſſet, & deprehenſa ſeuerè vindicaretur. Temperandam itaque huius ſibi ſectæ diſciplinam poſteriores Anabaptiſtæ iudicârunt: quo in genere præcipui extiterunt, Bauvvens, Vbbo, Simon Mennonis, Phriſij, & his poſterior Theodoricus Philippi, qui cùm cæteris in rebus magiſtris aſſentirentur, ea re vna diſſenſerunt, quòd reſtitutionem regni Chriſti non in impiorum hominum excidio, ſed in bonis operibus, in cruce Chriſti collocarent. Magiſtris itaque deſertis, in horum poſteriorum diſciplinam ita vulgo eſt diſceſſum, vti qui huic ſacrilegio nomen darent, ij Mennoniſtæ dicerentur. Erant

itaque

itaque per Belgium, quibus hæc Regum concordia displicebat, hæ tres malè dissectæ sectæ, earum omnium longè maxima erat Caluiniana: proxima Anabaptistarum, quæ occultè per homines obscuros & multis locis docebatur, & deprehensa incredibili hominum pertinacia defendebatur. Postremi Luterani, malè accepti ab ingratis liberis, discipulorum paucitate, doctorum instabilitate, ægrè dignitatem atque nomen tuebantur. Atque hæc de sectis idcirco prolixiùs sunt à nobis commemorata, quòd semel explicari rem eam vno veluti contextu sit necesse. Ad institutum itaque reuertatur narratio. Pace constituta Rex Catholicus (qui Cæsarem patrem mense Sept. antè amiserat) de Africanis præsidiis, Hispaniæque occultis motibus timebat, grauissimasque caussas alias complures habebat, Hispanias cogitabat. Cæsare imperio cedente, rogantibus id Belgis facturum sese Rex receperat necessariis Reip. temporibus à Belgio sese non abfuturum. Cùm itaque hoc est diuturnũ bellum Gallicum compositum, cùm Regis Henrici filia Regi est desponsa, cùm Rex Henricus hunc in modum est sublatus, Dux Sabaudiæ restitutus, caussam adferre Belgæ nullam posse credebantur, cur manere diutius apud se Regẽ oporteret. Si quod metueretur diuturnum Gallorum fœdus non est futurum, ita in omnem esse partem rectè prouisum, vt quoad Rex reuertatur, sustineri res non difficulter possit: Ordines postremis Comitiis in annos nouem,

*Regis de Hispanica profectione varia consilia.*

*De Belgarum Officio.*

octingenta florenorum millia in annos singulos Regi promisisse, eam pecuniam ad equitum stipendium, ad præsidiorum peditumque necessitates suffecturam, seditiones, domesticos motus, absente Rege à gēte in Principem officiosa, tum omnium minimè mala, timeri non oportere: Nobilitatem tot retrò bellis, fidei cōstantiæque officia in Regem sua multis grauissimisque testimoniis comprobâsse: Plebem mercaturæ atque opibus cogendis intentam, si ingenio, si legibus, si maiorum institutis relinquatur, nullo momento in officio permansuram: difficulter eos homines, qui ludis, qui conuiuiis gauderent, qui omnem in rerum priuatarum commodis cogitationem atque adeò salutem collocarent, tot charissimarum rerum iacturam dissidiis, seditionibúsque, facturos: Atque hæc multi loquebantur, contrà qui sentirent eorū hæc erat oratio: Quòd de Regis profectione proponeretur, ita demum probari, si diu à Belgio Rex non est absuturus: Belgas nec totam libertatem, nec totam seruitutem pati posse: insolescere, si remittas: recalcitrare, si stringas: vnum esse præsentis legitimi Principis liberalem metum, qui tenere in officio homines posset: metuendum si diu Rex est absuturus, vti obseruantiæ obliti eos homines Belgæ inueniant, qui signo sublato nouarum sese rerum duces auctorésque profiteantur. Esse ita sanè vti diceretur, fidem, obsequium, operas, pecunias præclarè tum Cæsari, tum Regi præstare Belgas consueuisse, vnum desiderari, quòd obseruantiæ immemores minus ei officio satisfacerent,

cerent,quo coli à bonis ſubditis bonos Principes oportet.Poſt victoriam Laurentianam,poſt Regem Galliarum in ſummas rerum anguſtias redactum, optimè de Belgio meritū Regem, ab Ordinibus id quod dicebamus nouennale vectigal impetrâſſe, magnam fuiſſe eam ſubditorum in Principem beneuolentiam, corrupiſſe tantum ſuum in Regem meritū, iis pactis Ordines, quibus in ſiniſtram de ſe ſuſpicionem ſi non abduxerunt,abducere certè Regem potuerunt. Monuiſſe enim ordines de fœdere retinendo, quod Cæſar anno M. D. XLVIII. cum Imperio ſuo prouinciarumque nomine pepigiſſet: Adieciſſe, Ciues armarentur, peregrinus miles mitteretur, pecuniæ non vti conſuêſſet, Regiis quæſtoribus traderentur, ſed ab Ordinum delegatis in militem erogarentur, ij cenſui ſtipendiique ſolutioni adhiberētur; indecora ea pacta Regi extitiſſe,multumque de eo ſuo beneficio Ordines detraxiſſe, quod liberalitate contraxiſſent. Nullā fuiſſe cauſam, cur optare Imperij vel tutelam vel ſocietatem ea arctiorem oporteret, quàm is Rex præſtaret, cui cùm Imperio probè conueniret: Cæſarem Carolū cum Imperio idcirco æterno fœdere pepigiſſe,vt in poſterum ſuis legibus Belgæ vterentur, de directo feudorum dominio, de appellationibus, de Imperij vectigalibus controuerſiam nullam haberent: non fuiſſe itaque cùm res eas Rex præſtaret, cur moneri de eo fœdere Regem oporteret, ſi non etiam id homines ſpectarent, vti Imperij ſocietate, quæ eſſet per Imperium, quídvis credendi atque audendi impu-

*Vectigal nouēnale.*

nitas in Belgium admitteretur, vti in ordinem Rex redactus vt Germaniæ Imperator, sic Principum suorum atque Ordinũ parêre edictis cogeretur: grauissimam itaque eam causam extitisse, cur molestè hac subditorum postulata ferre Regem oportuerit. Iam illud de militibus, quàm sit anceps, omnes intelligere: Si votis institui res humana posset, si vnus esset atque idem omnium mortalium sensus, equidem & domestico & peregrino milite libenter fuisse Regem cariturum: rebus turbatis, cùm ad consilium vis est adhibenda, tum vtra sit militia assumenda, domesticáne an peregrina, ab eo constitui debere, cuius periculo bellum gereretur, quemque non alieno sed suo iudicio quorum vellet, locare operas deceret: sic equidem sese arbitrari, fuisse non leues causas, cur inter Ordines complures sint inuenti, qui in eam sententiam discederent, vti domesticam militiam peregrina potiorẽ iudicarent, siue quòd minore stipendio ciues militarent, facilius in officio tenerentur, pro aris atque focis fortius pugnarent, siue quòd ad subitos belli motus hoc domesticum militum robur, quamplurimum conferret: nonnullos nihilominus extitisse iis conuentibus, qui bonorum virorum simplicitate abuterentur, peregrinam militiã non tam patriæ quàm priuatæ ambitionis studio mittendam postularent. Iam illud quod erat in pactis pôstremũ, vti pecuniam per se Ordines procurarẽt, militibus annumerarent, Regem, quòd omnem de auertenda pecunia suspicionẽ abominaretur, fecisse quod peteretur: illos

illos qui rem nouam postulâssent, & Regi iniuriam fecisse, cui fidem de pecunia contra morem maiorum non haberent, & sibi eam apud Regem suspicionem procurâsse, vt stipendij solutione & militum in se studia ambîsse, & continuis prouinciarum conuentibus nouum in Rep. dominatum quæsisse existimarentur. Atque hæc ita tum pro hominum ingeniis variè dicebantur. Rex nihilominus offensi animi signa nulla præ se ferebat, quin Remp. æquissimis rationibus componebat. Margaretam Austriam sororem, Octauij Farnesij Parmæ Ducis coniugem ex Italia accersitam discedenti Duci Sabaudiæ ad summam Belgij Burgũdiæque præfecturam substituit. Prouinciarum singularum administrationem ita partitur: Lutzenburgum & Comitatum Chineum Petro Ernesto Comiti Mansfeldano attribuit: Geldriam & Zutphaniam Comes Hornæ aliquandiu administrârat, summisque eam præfecturam votis ambiebat: cum Episcopo itaque Atrebatensi agere hac de re instituit: Respondet, vt accepimus, Atrebatẽsis, neque sui iudicij eam rem esse, neq. scire se quid de ea præfectura Rex cogitaret: vrget Hornanus: offensus hominis importunitate, ne si sciat quidem Regis sententiã, elaturũ eam sese Atrebatensis affirmat: irascitur Hornanus: Iampridem tenere se asseuerat quã in se bona volũtate Atrebatẽsis non exísteret: accipit itaq. Geldrię Zutphaniæq. præfecturã Carolus Brimeus Comes Meghemi: Flandriam & Artesiã Amorallus Comes Egmõdanus: Carolus Comes Lalaignij (qui paucis mensibus

*Margareta Austria Dux Parmæ summo Imperio belgio præfecta.*

*Prouinciarum singularum præfecti.*

antè est mortuus quàm pax est Gallica cōstituta) Hannoniam, Valencenas atque arcem Cameracensem procurârat. Hānonia duo habet suprema munera: Gubernationis vnum, Bailliuatus alterum. Gubernatio id appellatur, quod belli negocia, quod vrbium atque arcium custodiam procurat; Bailliuatus, quod iuris dicundi supremam habet auctoritatem: vtrumque Lalaignius diu tenuerat. Verùm quod is Hannoniæ mos existeret, vti ius dici absente Bailliuo non liceat, multæque sæpe res Lalaignium, absente à Palatio Duce Sabaudiæ, generalem prouinciarum præfectum, Finantiarumque supremum Præsidem abesse ab Hannonia cogerent, Ioanni Lannoio Domino Molenbasij Bailliuatum Rex tradiderat, inde Molenbasio mortuo, vtrumque Hanoniæ supremum munus, Valencenas, atque arcem Cameracensem, Ioannes Glimeus, Marchio Bergæ ad Zomam Molembasij gener à Rege accipit: Burgundiæ, Hollandiæ, Zelandiæ, ditioni Vltraiectinæ præficitur Orangius: Phrisiæ orientali & occidentali, ditioniq́ue Trāsisulanæ Ioannes à Ligne Comes Arembergij: Insulis, Duaco & Orchinio Ioannes Montmorātius Dominus Courririj: Tornaco & Tornacesio Florentius Montmorantius Dominus Montignei, Hornani frater: Namurco, Carolus Barlaymōtius: Ditionibus Trāsmosanis, quæ veteri iure ad Brabantiā pertinent, Ioannes Comes Phrisiæ orientalis: pars reliqua Brabantiæ, Mechliniáque vetere instituto, præfectum idcirco seorsum nullum habebat, quòd ea regione supremus Regius

*Ordinariȩ equitum Belgicorũ cohortes.*

Regius præfectus moraretur. Equitum præterea grauis armaturæ cohortes inter primores Belgij nobiles Rex partitur: Erat enim iis temporibus magna earum cohortium dignitas, ſiue quòd nobiles iis cohortibus complures nomina dediſſent, ſiue quòd prouinciarum robur continerent, ſiuȩ poſtremò, quòd ſine graui moleſtia fructuoſa ea militia exiſteret. Vrbium quoque populíque ita commoda Rex procurat, vti veterem Rerump. morem, leges, priuilegia, iudicia retineret, curas publicas ita Parmenſi traderet, vti in conſiliorum ſocietatem primores Belgij adhiberet. Religionem catholicam, & tranſlatitiis Caroli quinti edictis, & nouis à ſe ſuſceptis conſiliis tuetur. Celeberrimum poſtremò conuentum ad mẽſem Iulium prouinciarum Ordinibus, atque inaurati velleris equitibus, Gandauum indicit: antè enim quàm Zelandia in Hiſpanias nauigaret, ſufficere in locum demortuorum equitum nouos equites cupiebat, Ordinibuſque de ſua profectione, de Parmenſi à ſe delecta, de Religione, cæteriſque de rebus loqui conſtituerat. Ingente itaque hominum multitudine, frequente Belgij peregrináque nobilitate, omnium penè regnorum legatis comitatus, Gandaui per vnum atque alterum menſem Rex moratur: Regi Galliarum Henrico ad ædem D. Michaëlis iuſta funebria Regali põpa exoluit: Hinc multis ſolennibus ſenatum habet inaurati velleris, nouóſque in ampliſſimum ordinem equites cooptat: qua de re (quòd noſtris is ordo Principibus nobilitatíque honeſtiſſimus gratiſſimúſque ſemper extite-

*Vrbium ſtatus.*

*Cõuentus equitum aurei velleris Gandaui, eiúſque inſtitutio origo.*

extiterit) dicere nonnulla eſt neceſſe. Philippus Dux Burgũdiæ pater Caroli, omniũ quos habuit Belgium retrò Principum laudatiſſimus prȩſtantiſſimusq́ue Princeps eſt habitus: huic vti oſtendimus, cum Carolo ſeptimo Rege Galliarum, ob paternam cædem capitales ſimultates, bellaq́ue interceſſerant: ea Philippus ita geſſerat, vti ſuis atque Anglicani Regni opibus in eas rerũ difficultates Regem Carolum adduceret, vti quibus vellet Philippus cõditionibus paciſci Regẽ oporteret: Philippũ regni prærogatiua legibusq́. Rex exolueret, cædis paternæ veniam per nuncios deprecaretur, direptã patris ſupellectilẽ reſtitueret, cædis ſocios regno eijceret, tẽplis monaſteriisq́. ædificatis crimen expiaret, agros atq. vrbes Philippo complures attribueret. Nonnullas quoque Philippus Gandauenſiũ ſeditiones ita coërcuerat, vti quàm ſeuerè in ordinẽ vrbem redegiſſet, eidẽ & ſingulari animi moderatione parceret, & leges eas diceret, quibus quieturam in poſterum vrbem arbitraretur. Magna hinc Philippi laus atque gloria: eam Philippus cum veris virtutibus, quæ multæ laudatiſſimæq́. eum Principẽ exornabant, quæq́. Boni illi nomẽ viuo mortuoq́ue dederũt, tum iis rationibus tuebatur, vt opes ſine ſubditorũ iniuria ampliſſimas ſibi compararet, iis ſplendidiſſimè ad retinendas hominum voluntates, legatis ſuſcipiendis, peregrinis principibus ſubleuandis, amicis colendis, ludis, conuiuiiſq́ue magna ingenij cum laude vteretur. Eo in genere fuit hoc collegiũ inaurati velleris, quod ſuis cum Elizabetha Portugallica nuptiis menſe Ianuario, an-

rio, anno Millesimo quadringentesimo trigesimo Brugis instituit, qua de re sunt hæc illius verba: Philippus Dei gratia, &c. Notum facimus omnibus præsentibus & futuris, quod propter magnum & perfectum amorem quem habemus erga nobilem statum & ordinē dignitatis equestris, cuius honorem ardenti studio & singulari affectu exoptamus augere, per quem ordinem vera fides catholica, status nostræ sanctæ matris ecclesiæ, & tranquillitas prosperitasque Reip. sit, vt esse potest, defensa, custodita, & cōseruata: *Nos ad laudem & gloriam omnipotentis creatoris & redemptoris nostri, ad reuerentiam matris eius gloriosæ virginis, & ad honorem Domini Sancti Andreæ gloriosi Apostoli & Martyris, ad exaltationem fidei & sanctæ ecclesiæ, & excitationem virtutum & bonorum morum, decimo die Mensis Ianuarij anno Domini nostri Millesimo quadringentesimo, nono & vigesimo, qui erat dies solēnisationis matrimonij inter nos & nostram charissimam & amantissimam coniugem Elizabeth, in oppido nostro Brugensi, accepimus, creauimus & ordinauimus, & per has præsentes accipimus, creamus & ordinamus ordinem & fraternitatē dignitatis equestris, & amicabilis societatis certi numeri equitum, quem volumus appellari Ordinē velleris aurei, sub forma, conditionibus, statutis, modis & articulis qui sequūtur. Primò ordinamus, vt in ordine antedicto sint vnus & triginta equites, viri nobiles nomine & armis, sine reprehensione, quorū nos tēpore nostro erimus caput & supremus, & post nos successores nostri Duces Burgundiæ, &c. Datū in nostro oppido Insulēsi, 27. die Nouēb. anno gratiæ* M. CCCC. XXXI.

Siue

Siue itaque hoc illius fuit cõsilium, siue ad splendorem quem spectabat accõmodatè quosdam, vt Iuppiter, sic maiorum minorumque gentium Deos, quibus imperaret, habere cupiebat: siue contra Gallos nouis se societatibus atque amicitiis firmaret: siue Iäsonis exemplo Argonautas legeret, quibus cũ vti ille in Colchida ad Aetem, sic in Syriam, in Turcas proficisceretur: siue quæ alia fuit huius consilij ratio, magno hominum applausu res est excepta, multáque ad ordinem cohonestandum decora sunt adhibita: Torque aureo collegæ donati, torques ita fabrefactus, vti ex silicibus ferróque quo ignis è silicibus excutitur, cõstaret: ima torquis parte penderet aureum vellus: quem torquem ita quidam est interpretatus, vt silicibus ferróque ascriberet, Antè ferit quàm flamma micet: Velleri, Pretium non vile laboris: rudes atque impoliti è lauro stipites decussatim propositi, circum stipites emicantes flammæ, vestes, ritus sacrorum, sessionum, cæteráque eius generis infinita descripta, quibus rebus id est effectum, vti magna hominum admiratione ordo coleretur, sæpiusque à Philippo inde à Carolo senatus noui ordinis haberetur: Carolo mortuo, cùm in gentem peregrinam Mariæ matrimonio res transîsset, tum id hominum sermonibus est quæsitum, ad Archiducémne, an ad Ludouicum Vndecimum ius collegij transiisset: Iam enim Burgundiæ Ducatum Ludouicus occupârat, nec nisi ad Burgundiæ Duces spectare ea societas dicebatur. Maximilianus contrà, iniuria auferri sibi eum ducatum querebatur: ne

itaque

itaque existimationis apud subditos naufragium faceret, huius se collegij Principem Maximilianus profitetur: Creuecuriũ Pottiumque, quòd Maria deserta ad Ludouicum transiisset, infamia dãnatos, senatu mouet, nouos in eum ordinem equites cooptat. Sequuntur Maximiliani exemplum nepotes, atque hoc inaurati velleris institutum sæpius frequentant. Postremus collegij conuentus, seu capitulũ (vti loquimur) Antuerpiæ fuerat habitum, anno Millesimo quingentesimo, quinto & quinquagesimo : post eum diem hi erant mortui: Imp. Carolus Quintus: Ioãnes Rex Portugalliæ: Christiernus Rex Daniæ: Fredericus Comes Palatinus elector: Ferdinandus Gonzaga Princeps Malfetti Dux Ariam : Fredericus Comes Furstembergij : Pontus Lalaignius Dominus Bugnicourtij : Petrus VVerchinius Seneschallus Hannonię:Petrus Antonius à Sancto Seuerino Dux Sancti Marci Princeps Besignani: Reginaldus Dominus Bredenrodij : Carolus Comes Lalaignij : Mauricius à Lara Dux Nogeræ : Maximilianus à Burgundia Marchio Veræ:Ioachimus Dominus dele Rie.Supererant Ferdinandus Imp. Carolus Princeps Hispaniarum:Maximilianus Austrius Rex Bohemiæ:Ferdinãdus Archidux Austriæ,Comes Tirolis:Henricus Dux Brunsuicẽsis & Luneburgensis: Gonsaluus Ferdinandus à Cardonna Dux Cæsæ & Terræ nouæ: Ioãnes à Ruysceco de la cerda,Dux Medinæ cæli : Philibertus Emanuel Dux Sabaudiæ : Vladislaus Baro Bernstenij : Franciscus Daualos de Aquino Marchio Piscarij:Sforsa Sforsa

Comes

Comes ſanctæ Floræ: Ignigus Lopes Mēdocius, Dux Infantaſgi: Albertus Dux Bauariæ: Ferdinandus Aluares à Toledo, Dux Albæ: Coſmus à Medicis Dux Florentiæ: Octauius Farneſius Dux Parmæ: Claudius à Vergij Baro Champliti: Petrus Erneſtus Comes Mansfeldij: Ioannes Comes Boſſuti: Amorallus Comes Egmondanus: Ioannes à Ligne Comes Arembergij: Ioannes Lanoius Dominus Molembaſij: Philippus Croius Dux Areſchoti: Carolus Baro Barlaimontij, Philippus à Stauele Dominus Glajonij: Carolus Brimeus Comes Meghemi: Philippus Montmorantius Comes Hornæ: Ioannes Marchio Bergenſis: Guillielmus Naſſouius Princeps Orangij: Ioannes Montmorantius Dominus Courririj: Ioannes Comes Friſiæ Orientalis: Antonius Doria Marchio Sancti Stephani. Tot itaque vt oſtendimus, collegis mortuis, nouos hoſce equites Gandaui in hūc ordinem Rex adlegit, Franciſcum Regem Frāciæ: Guidobaldum à Montfeltre Ducem Vrbini: Marcū Antonium Columna, Ducem Paliani: Philippum Montmorantium Dominum Hachicourtij: Balduinum Lanoium Dominum Tourcoignij: Guilielmum Croium Marchionem Rentei; Florentium Montmorantium Dominum Montignei: Philippum Comitem Lignij: Carolū Lanoium Principem Sulmonæ, Antonium Lalaignium Comitem Hoochſtrate: Ioachimum Baronem Nieuhauſij Cancellarium Bohemiæ. Quæ cùm vetere ac ſolenni ritu ſunt peracta, cum prouinciarum delegatis quos Gandauum euocatos dicebamus

bamus agere Rex instituit. Verba Regis nomine in eam sententiam facit Episcopus Atrebatensis, vt de Regis in optimos subditos præclara volũtate nonnulla prolocutus, libentissimè mansurum fuisse in Belgio Regem ostenderet; si non eæ Hispaniarum necessitates fuissent exortę, quibus subueniri, nisi Rege præsente, non posset, egressum Hispaniis anno millesimo quingentesimo tertio & quadragesimo Cæsarem, non nisi duodecimo anno pòst in ea esse regna reuersum, neque tum cùm est reuersus, multum operæ in Rep. curanda Cæsarem posuisse. Cæsare profectò, in annos quinque inducias cum Gallis Regem pepigisse, iis adduci potuisse, vt in Hispanias transiret, fecisse nihilominus Regem vt induciarum euentum in Belgio expectaret: huius sui cõsilij eum fuisse præclarum fructũ, vt induciis violatis progredi tam vltrà hostium cõsilia non potuerint, vt contrà multis victoriis ea sint fœdera cum Gallis constituta, quibus honestiora nulla possunt: gratissimum itaque Regi futurum fuisse, si rebus compositis frui coràm optimis subditis diu licuisset. Fuisse id Regis studiũ, antè quàm in Hispanias nauigaret, vti Germanus miles dimitteretur, prouinciarum vectigalibus multis ducatorum miriadibus è cæterorum regnorum prouentibus acceptis, vndecies centenis florenorum millibus superiori mense vsuris à mercatoribus mutuò sumptis, quæ in Hispaniis soluerẽtur, id esse Regem consecutum, vti Germanis penè vniuersis satisfieret: vnã adhuc superesse Germanorum legionem seu Regimentum, cui non-

*Prouinciarum Gandaui cõuentus & Episcopi Atrebatensis ad Ordines oratio.*

dum esset satisfactum, diu eam legionem militâsse, neque ea carere Belgium potuisse. Curarent itaque Ordines vti rebus cæteris consuêssent, cuiusque rei nomine magnas iis haberet Rex gratias, huius quoque legionis necessitati prouiderent, Ducem Sabaudiæ supremam Belgij præfecturam præclarè administrâsse, redeundum illi nunc esse in patriam, optâsse Regem vti filium ex Hispaniis accersitum summæ rei præficere liceret, multas extitisse causas, cur id ante suum in Hispanias reditum facere Rex minus potuerit: diu itaque hac de re cogitantem, in eam sententiam Regem discessisse, vti Ducem Parmæ sororem suam coràm assidentem Duci Sabaudię substitueret, id vt faceret eas Regi rationes persuasisse, quòd soror existeret: quòd Cæsari ita semper fuisset obsecuta, vti huius sui obsequij causa multa eam pati fuerit necesse: quòd Regis studiosissima semper extiterit: quòd has prouincias (quibus nata est & educata, & quarum idiomata teneret) vnicè diligeret: amplissimis itaque mandatis, eam sorori auctoritatem Regem attribuisse, quam Hungarię Regina, quam Dux Sabaudiæ habuissent, ea prudenter, & ad vsum prouinciarum accõmodatè Parmẽsem vsuram. Darent itaque operam Ordines, vti quo Regem oporteret, eo Dux Parmæ obsequio coleretur. Quę cùm in hanc sentẽtiam prolixa oratiõe sunt pronũciata, tum in eum sermonem Atrebatẽsis est ingressus: Vicinorum Principum cõplures ditiones nouis de Religione dissidiis laborare, eas sectas à diabolo dissidiorum seditionumq; parente ad animorum

nimorum corporumque internecionē proficisci: nihil itaque æquè Regi curæ existere, quàm vti ea mala in has suas ditiones non perueniant: tum quòd Domino Deo rationem de administratione reddere se sit necesse, tum quòd cū certa prouinciarum pernicie ea res sit cōiuncta: Mutari enim Religionem sine magnis motibus idcirco nō posse, quòd bonarum Rerumpublicarū vis atq; anima catholica Religione contineatur: nō posse non eorum Regem meminisse, quę discedēs Ordinibus audiētibus Cęsar imperâsset, quibusq; de rebus moriens testamento studiosè cauisset: Parmensi itaque id Regem imperâsse, Religionem catholicam tueretur: eas leges exactè obseruaret, quibus de hęreticis coërcendis Cęsar atq; Rex cauissent: de re eadē ad singularum prouinciarū præfectos, tribunaliaq; mādata Regem accurata transmisisse: velle vti & Ordines huius quoque in se rei curam susciperent: vnam hanc sibi rem longè gratissimam, prouinciisq; vtilissimam futuram: Postremò quòd sibi maioribusq; obsequētes semper extitissent: quòd pecunias liberaliter contulissent, magnas pro hisce in se meritis gratias Regem habere, rogare vt quo pręsentem consuêssent, eodem absentem studio colerent, futurum eodem in Ordines animo absentem Regem, libentissimeq., cùm id reium necessitas flagitabit, in has prouincias reditucū. Atque hæc, cęteraque in eam sententiam Atrebatensis multò quàm est hęc nostra oratio cultiùs prolixiusque. Ordines, quod sui erat muneris, quod tantum, tam de se bene meritum Principem de-

 cebat,

cebat, officiosè respondent: quod vt maximè ita fieret, magnúsque esset in Rege colendo diligédoque hominũ consensus, tamen vt corporibus morbo imminente quidam torpor pigritiaque solet obrepere; sic in nonnullorum cogitatione quoddam existebat rerum pręsentium fastidiũ, animique indignatio: ea res est huiuscemodi: Cùm Cæsar Carolus, patre atque auo mortuo, ad supremas rerum humanarum dignitates primùm eueheretur, tum illud acciderat, vti Belgica nobilitas, principalem apud Cæsarem consiliorum atque honorum dignitatem teneret. Pòst cùm inueterascere Cæsaris imperium per Germaniam, Hispaniam, atque Italiam incepit, tum quod fieri erat necesse id est secutum, vt apud Cæsarem cæterorum etiam regnorum nobilitas auctoritatem inueniret, pati id libẽter nostri homines, tum quòd Cæsarem optimè in se animatum cognoßent, tum quòd hac veluti laudis cõtentione cum peregrina nobilitate de splendore atque fastu concertarent. Verùm cùm Rex ex Hispaniis in Belgium aduenit, tum quędam est oberta rara equidem nubes, & quæ Regiæ dignitatis fulgori cederet, nubes illa tamen: Plus apud Regem in Hispanijs educatum Hispanos posse quàm vel Cęsar tribuere cõsuêsset, vel Belgarum dignitati meritisque conueniret: Cæsarem Belgis Belgam: Hispanis Hispanum: Germanis Germanum: Italis Italum extitisse: Regem cõtrà vniuersis semper esse Hispanum, parcè nec nisi Hispanicè loqui, ministris Hispanis quàm cæteris vti libẽtius. Aucta inde hominum indigna-

*Causæ odij Belgis in Hispanos.*

indignatio, bello Metensi cùm Dux Albanus supremum in exercitu imperium teneret, Daualos magister equitum existeret, multa reliqua belli munera in peregrinos essent homines distributa. Pòst cùm Cæsar in Hispanias discessit, tum inter primores nobilitatis complures de Hispanis sermones ferri cœperunt: Albanum ea Cęsari consilia dare consuêsse, quibus Belgarum seruitutem cogitaret: multa cæteros Hispanos dicere solere quæ ferre ingenuos homines non oporteret, offensum iis sermonibus Cęsarem, Orangio Bossutioque præsentibus Regi dixisse, futurũ vti Hispanorum consiliis res Belgica subuertatur. Addebatur iis occultis nostrorum sermonibus, Reginam Hungariæ discedentem Regi primores nobilitatis cum hoc eulogio commendâsse: Vti Cæsarem atque Regem multùm eorum virtuti atque fidei debere affirmaret, nullumque inter eos nobiles esse profiteretur, qui non etiam Regi magno posset commodo existere, comprobâsse nobilitatem hoc Reginæ de se iudicium iis bellis quæ postrema cum Gallis Rex gessisset, gratia nihilominus apud Regem solos Hispanos valere; cum Albano, Ruygonno, Comite Feriæ, de rebus grauissimis occulta Regem cõsilia versare, se vnos existere qui veluti vmbræ vagarentur, quorum auctoritas verbo laudaretur, re nulla existeret. Prima itaque & quæ omnium latissimè patebat, hæc erat illa querela de Hispanorum gratia potentiaque, quæ gratis auribus à vulgo idcirco excipiebatur, quòd Antuerpia, Atrebatũ, Cameracum, aliæ vrbes complures iniuriam sese

accepiſſe ab Hiſpanis præſidiis quereretur. Proxima, quæque magno hominum ſtudio cælabatur, erat querela de ſeueritate earum legum, quibus in hęreſim quęreretur, qua de re pòſt videbimus. Erant poſtremò ambitionum atque odiorum aliæ querimoniæ complures, omnium earũ factionũ princeps erat Orangius, cuius rei quem potius teſtem citabimus, atque hũc ipſum Orangium, qui eo libro quo Regi ſe proſcribenti reſpondet, multis verbis commemorat iam inde à puero reformatę Religionis perquàm ſtudioſum ſeſe extitiſſe: Pòſt, cùm adoleſcens ad Cæſarem eſt deductus, accidiſſe, vti iis ſe ſtudiis oblectaret, quibus ſuæ ætatis atque ordinis homines conſueſſent, manſiſſe nihilominus animo puerilis Religionis ſemina, quæ grandiore ætate maturuerint. Hinc pace cum Henrico Rege Galliæ cõpoſita, vadem ſe in Gallias profectum, in eum ſermonem cum Henrico incidiſſe, vti ſibi Henricus conſilia commemoraret, quæ Albano internuntio ad nouarum Religionũ perniciem cum Rege Philippo ſuſcepiſſet: feciſſe ſeſe Orãgiũm vti conſcium eorum ſe cõſiliorum apud Regem ſimularet, ea re impetrâſſe vti rem totá cognoſceret. Cùm itaque hoc Regum conſilium teneret, cumque eius facinoris adminiſtros Hiſpanos futuros intelligeret, curâſſe vti fide data reuerti ſibi in Belgium permitteretur: eò cùm perueniſſet, tum id ſe procurâſſe, vti Hiſpanorum militũ miſſionem à Rege Ordines poſtularent: præclaram hanc eſſe ſuam laudem; vtrumque enim eo ſe conſilio eſſe conſecutum, vti & ſeruitute patriam

*Orangius diſſidiorũ factionúmque in Belgio princeps.*

triam liberaret, & Religioni (ſic enim loquitur) viam ſterneret. Atque hæc, pluraque Orangius poſtea: tam enim iis temporibus nouarum Religionum ſtudium præ ſe non ferebat, vti domi Presbytero, foris eccleſiæ catholicę miniſterio religioſè vteretur. Dum itaque Gandaui Rex atque Ordines morantur, proponitur Ordinibus hæc illa quam dicebamus de Hiſpanis querimonia, oſtēditur, poſtremis Ordinum comitiis, quibus Bruxellæ de nouennali vectigali fuerat deliberatum, fuiſſe id à Rege poſtulatum, vti arces atque vrbes limitaneæ, nō peregrinis ſed domeſticis tradantur, certam huiuſce rei ſpem tum equidem Regem feciſſe, nunc contrà eam eſſe Regis hac de re ſententiam, vti peregrinos equites atque pedites præſidio toti Belgio ſit impoſiturus, intelligere per ſe Ordines, quàm id ferre homines liberos non oporteat: accedere, quod Belgio turpiſſimum ſit futurum, vti Comitem Feriæ, Secretarios Vergam & Eraſo, eo ſit cum imperio Rex relicturus, vti niſi iis auctoribus conſtitui de Rep. res nulla poſſit, viderent Ordines vti ne Reſp. iis conſiliis contumeliam atq; damnum acciperet: Rogati itaq. Ordines eas ſinguli ſententias dicunt: Rogādum eſſe Regem vti peregrinum militem Belgio educat, præſidiis non niſi Belgicis vtatur, conſiliis de Rep. peregrinos non adhibeat: Adjiciunt nōnulli, antè quàm hoc eſt à Rege impetratum concedi rem vllam Regi non debere. Menſis itaque Auguſti die ſeptimo, cùm in eam, quam dicebamus, ſententiam Ordinibus Rex eſt locutus, tum Borlutius vrbis

*Ordinum deliberationes de Hiſpanorum miſſione à Rege poſtulanda.*

*Ordinum de mittēdis Hiſpanis ad Regem oratio*

Gandauenſis Penſionarius pro toto eo conuentu Regi rem proponit, peregrinę militię incommoda atque mala commemorat; Theonis villam, Marieburgum, deſerta ab inquilinis oppida prędiorum Hiſpanicorum inſolentia oſtendit: Belgicorum militum fidem ad grauem gentis iniuriam contemni non oportere affirmat, pericula commemorat, quæ oriri eſt neceſſe, ſi quod metueretur Rege profecto, neque modeſtus peregrinus miles eſt futurus, & iniurias per ſe ſunt homines vindicaturi. Rogare itaque Ordines, vti Cæſaris exemplo munitionibus peregrinos deducat, ea loca Belgis committat. Hinc in eum ſermonem Borlutus ingreditur, alienum futurum à vetere forma Reip. indignum Belgarum fide atque virtute, ſi peregrinos homines ad publicarum rerum curam Rex eſt adhibiturus: poſtulare itaque Ordines, vti ne rem eam Rex committeret, quæ Regi inutilis, ſibi opprobrio ſit futura. Quæ cùm Borlutus dixiſſet, tum quòd homines ſuſpicabantur ſubiratum de ſede Regem ſurrexiſſe, atque eo digreſſo, in eam ſententiam locutum Ducem Sabaudiæ accepimus, vt Ordinibus peregrinæ militiæ diſceſſum polliceretur, verbis nihilominus eos leniter increparet, qui de Regis voluntate aliter vel ſentirent vel loquerentur, quàm illius in Belgas præclarum ſtudium mereretur. Rebus itaque hunc in modum toto Belgio procuratis, Gandauo in Zelandiam Rex proficiſcitur, inde ſecundo vento afflante Aquilone, breuiſſimo temporis ſpatio, Vliſſinga in Hiſpanias adnauigat ita oportunè,

*Regis in Hiſpanias profectio.*

vti

vti commodiſſimam nauigationem ( vixdum naui egreſſo Rege) horrendæ maris tempeſtates exciperent. Rege profectò Bruxellam veterem noſtrorum Principum ſedem Parmenſis proficiſcirur, ſummiq́ue imperij poteſtatem menſe Septembri auſpicatur. Mandata, vt oſtendimus, ampliſſima, Senatum quicum deliberaret tribus diſtinctum curiis; Status, Priuati, & Finantiarum Parmenſis acceperat: de qua Senatus diuiſione idcirco dicere eſt neceſſe, quòd ex eorum conuentuum concertationibus poſteriorum temporum nonnulla diſſidia ſunt exorta. Duces Burgundiæ cùm rerum potirentur, Cancellario ad rerum publicarum curam vti conſuêrant: Primus Cæſar Carolus offenſus, quod accepimus, Guattinarij cancellarij imperioſa libertate, qui ſubſcribere ei fœderi recusârat, quod cum Franciſco Rege Galliarum captiuo, minus, vt aiebat Cancellarius, è re ſua Cæſar pepigerat, vti diutius Cancellariis recuſauit: per ſe itaque Rempublicam ita Cæſar gerebat, vti Finantiis ad patrimonij, vectigaliumq́ue procurationem vteretur, mandataq́ue huic Finantiarum Senatui quæ viderentur peropportuna conciperet: libellis ſubditorum per Iuriſconſultos reſponderet, iis præſidem daret, eum conuentum, concilium priuatum appellaret, de cæteris Reipublicæ negotiis, de bello atque pace, vel ſolus vel quibúſcum videretur, pro arbitrio deliberaret. Manſit eadem prærogatiua penes Margaretã Philiberti Ducis Sabaudiæ viduam, Cæſaris amitam, quæ Cæſare

*Parmẽſis imperium auſpicatur.*

*Curiarũ Status, Priuati & Finãtiarum explicatio*

*Vetus Rep. forma.*

*Conciliũ priuatũ.*

absente summo imperio Rempublicam administrabat. Prima quæ amitam est secuta Regina Hungariæ, eas imperij leges accepit, vti summis grauissimisque Reipublicæ negotiis, cum certis quos Cæsar nominâsset, consilia inire iuberetur, concilium Status, quod de summo rerum statu cognosceret, Senatus appellatus: Indignè rem nouam fert Regina, nouumque ita rarò Senatum cogit, vti non tam eum Senatum, atq; id spectâsse Cæsar crederetur, vti & nobilitatem sibi demereretur, & populo eò augustiorem gratioremque consiliorum suorum rationem efficeret, quò plures nobilioresque è sua gente interfuisse iis publicarum rerum deliberationibus animaduerterent. Semel itaque eo more in Remp. admisso, ne iniuriam se pati nobilitas arbitraretur, si consiliis quibus consuêsset non adhiberetur; repetita res eadem per Sabaudi præfecturam, ita vti Rege præsente rariùs nihilominus eo Senatu Sabaudus vteretur: Vsurpatum hinc denuo idem institutum, cùm Parmēsis rem suscepit: nominati Senatores Episcopus Atrebatensis, Orangius, Egmondanus, Hornanus, Bossutius, Glaionius, Barlaymontius, Philippus Nigri, Viglius, Bruxella, Regnardus, Tisnackius: mādata ad veterem formam in eam sententiam concepta: Eius Senatus princeps, Parmēsis existeret, præter hosce à Rege delectos, cùm res postularet, quos vellet è Priuato cōcilio Fināciisq. Senatores aduocaret: Sententiā quo vellet ordine rogaret: Sententias non tam numero, quàm rationibus æstimaret; De solis rebus summis grauissimisq. ad eū

*Consiliū Status.*

Sena-

Senatum referret:cæterorum tribunalium negocia agitari eo Senatu non pateretur:Quæ sententia fuisset perlata, eam tueri dimisso Senatu eos etiam Senatores oporteret, quibus cùm rogarētur,ea sententia non placuisset:In Senatum,cū id res postularet,aurati velleris equites venirent. Quibus capitibus id equidem parebat,nunquam eo consilio nostros Principes hunc Status Senatum vsurpâsse, vti arctiorem sibi, suísve Legatis imperij auctoritatem efficerēt, veteremq. quam haberent tot rationibus legitimam vnius potestatem mutata Rep. in Aristocratiam conuerterent:quin contrà id vnum iis consilij extitisse, vt non pro ratione voluntatem, sed prudētum magnorumque hominum iudicia haberent. Quæ res secretioribus Regiis mandatis,Consultæque instituto magis etiam est comprobata : sic enim Rex discedens Parmensi imperârat, vti cùm id commodo Reip.posset, plurium sententiam sequeretur:sin ea Senatorum studia oriri animaduerteret, vti vel collatis in cōmune cōsiliis nonnulli coniurarent,vel dissidiis in factiones discederent,tum re cum paucis deliberata, quod probaretur consilium seorsim sibi caperet: quin re grauiori proposita quàm vt definiri vel subitò, vel tot sententiis facilè posset, tum Parmensem à Senatu Status,ad Consultam, paucorum hominum arcanum consilium, transferre eius rei cogitationem Rex mandaret: Consultæ, Principem Parmensem:Senatores,Atrebatensem,Orangiū, Egmondanum,Barlaymontium,Viglium constitueret : Priuato verò concilio quod dicebamus (quo

*Consulta secretius consilium quo de muneribus publicis dignitatibusque videbatur Priuatū Consiliū.*

(quo res eæ iudicabantur, quę vulgus Iuriſconſultorum, iuſtitiæ atque gratiæ nominibus ſolet compellare) pręerat Viglius Ayta, Zuichemus, Phriſius, qui adoleſcentia ſtudiis, profeſsionibus, iudiciisque exculta, ad hoc ſupremum togatę dignitatis faſtigium; magno ſuo merito conſcenderat. Finantiis præerant Hachicourtius & Barlaymontius. Cętera prouinciarum tribunalia, ſiue à quibus nō prouocaretur, vt Brabātiæ, Hanoniæ, & quod aſſerebatur Geldrię, ſiue à quibus Mechliniam ſupremum rerum priuatarum iudicium appellabatur, vetere inſtituto res ſuas ſingula curabant. Hiſce itaque tribunalibus diſtinctam rerum publicarum curam Parmenſis acceperat, quibus teneri quæ tum exiſtebat ſumma rerum fœliciras non difficulter poterat, ſi à dominantium animis ambitio abfuiſſet: magna enim erat iis temporibus, nec facilè dixerim quibus antè temporibus maior, per Belgium fœlicitas. Agrum qui eſt ad Gallicum limitem bellum attriuerat, locis cęteris ram erāt omnia beata atque proſpera, vti iis ferendis homines non ſufficerent: tam nulla domeſtici belli memoria, vt qui veteres bellorum motus recordaretur, is vt de bello Troiano, ſic ad animos oblectandos, fabulam recitare crederetur. In Brabantia Louanium, nobiliſsimæ Academiæ decora, vrbis amœnitatem, ciuium tranquilliſsimum vitæ genus, egregiè tuebatur: Bruxella tot retrò Imperatorum, Regum, Reginarum, Legatorum, Principumque hoſpirio in ingentes ciuium opes ſplendoremque excreuerat: Antuerpia totius

*Finantiæ.*

*Prouinciarum tribunalia.*

*Prouinciarum fœlicitas.*

*Louaniū.*

*Bruxella.*

*Antuerpia.*

tius quàm latè patet orbis terrarum vna intra mœnia ita merces atque opes cōtinebat, vti hoc non vrbis ſed orbis forum exiſteret, in quo & totius orbis merces commutarentur, & immenſę pecuniarum ſummæ ad vſum totius vniuerſi, fœnori occuparentur, ea libidine, vt pecuniam quàm impenſas quibus pecuniam malè perderēt facilius homines inuenirent: Mechlinia, vetere Margaretæ Sabaudiæ domicilio, ſupremo iuriſdicundi tribunali, mercatorum ciuiumque priuilegiis ornatiſsimæ ditiſsimæque ciuitatis dignitatē tenebat: Buſcumducis ad Moſam, Hollandiæ, Geldrię, Cliuięque vicina ciuitas opulentas ornatasque inter vrbes eminebat: Flandria magnitudinē iam ſua laborabat, Galli Dunquerqua atque Bergis expugnatis hoſtilem in modū occiduum Flādrię agrum diripuerāt, ſed nec diu iis locis Galli ſubſtiterant, & cæterarū per Flandriam regionum fœlicitas id damnum facilè cōtempſerat: diuturna enim retrò pax, hominumq. induſtria immenſas vrbium, pagorúmque opes effecerat: Hollandia, Zelandia, Phriſia ita re pecuaria atque nautica ad ſumma conſcenderant, vti earum prouinciarum hominibus, & opes ludibrio, & annona nauſeę, & vitę tranquillitas ludo exiſterent. Summa erat itaque locis omnibus rerum fœlicitas, quam mihi in eam rem cogitanti, duabus vidētur noſtri homines rationibus eſſe conſecuti; & quòd laborem in re priuata procuranda immenſum ponere cōſuēſſent, & quòd eos eſſent Principes conſecuti, quorum auctoritate præter Galliam toto penè orbe reliquo

*Mechlinia.*

*Buſcumducis.*

*Belgarũ studia atque vita.* *Initio, plebis.* *Dedicationes.*

terra atque mari liberrimè mercarentur. Atque hisce quidem suis bonis ita homines fruebãtur, vti plebs, quod vacuum ab opere tempus nanciſceretur, id dedicationibus eccleſiarum, id ludis, id conuiuiis impenderet: Dedicationes contrà quàm Eccleſiæ diſciplina pateretur, totum octiduum ita celebraret, vti per viginti, plura etiã miliaria, ad eum diem multi vel agnatione, vel amicitia deuincti homines vnum in locum conuenirent: Ibi, primi diei tempus antemeridianũ ſpectandæ ei pompæ impenderent, quæ variis ferculis ſpectaculiſque comitata, templo egreſſa per vicos procederet, inde tempus pomeridianum totoſque dies reliquos ita paſſim darent cõuiuiis, potationibuſque, vt quod tempus ab his rebus vacuum haberent, id vel audiẽdis Comœdiis, vel ſpectandis ludionibus impenderẽt: Kermiſſas, id eſt, eccleſiarum Miſſas vulgus Teutonum eos conuentus nominabat: A publico enim eccleſiæ catholicę miniſterio, ſeu Liturgia, in qua complures miſſæ, ſeu dimiſſiones, modò catechumenis, modò pœnitentibus & energumenis, modò fidelibus olim denunciabantur, quodque vulgus latinorum hanc ob cauſam Miſſam, ſeu miſſarum ſolennia compellauit, in hominum v-

*Miſſæ.* ſum ita ea res tranſiit, vt dies feſti, dies Miſſæ, nũdinæ, celebreſque mercatorum cõuentus, Miſſæ

*Ludi.* dicerentur. De ludis quod dicebamus, ita res erat: Vetere inſtituto per vrbes atque celebres pagos ea honeſtiſſimorum ciuium collegia exiſtebant, quę neceſſariis vrbium pagorumque temporibus magiſtratus imperio excubare ad vrbis

cuſto-

custodiam armata oporteret, ea pro vrbium magnitudine vna intra mœnia plura nonnunquam existebant, omnibus olim eadem erant arma, sagittę, atque arcus. Arcus verò duorum generum, Oblongi, qui manu: Breues, qui ferro adducerẽtur: è quibus breues, siue quòd sagittas vi maiore impellerent, siue quòd rectiùs certiusque ad scopum iacularentur, laudatiores gratioresq. existebant. Pòst cùm exolescere sagittę bellis cœperunt, assumpta cętera quoque arma, quibus bello esset vsus: Accessit postremò vti gladiatorũ collegia nonnullis etiam vrbibus constituerentur, non qui vti Romę ad cædem certarent, sed qui vel rudibus, vel obtusis gladiis batuentes, in incertos rerum euentus armorum vsum profiterẽtur, inutile seruandis vrbibus bellisque studium, quóque pluribus perire, quàm seruari vita consueuit. Horum collegiorum, veterum cumprimis multa erãt solẽnia, quotannis is mos, vt qui sublimi arbori affixum ligneum Psittacum deiecisset, is toto eo anno Rex, totiusque eius collegij princeps existeret: Is publicis conuentibus cleriique processionibus torque (ex quo Psittacus vel aureus vel argenteus dependeret) infulatus incederet. Sacrorum quoque conuiuiorumque stati complures dies, societates cum vicinarum vrbium collegiis nonnullę: ludi, vt olympicis, sic per vrbes varij: Annui, vt Vuetæ, Louaniensibus & Bruxellensibus, qui iaculando cõsisterent: Incerti, nunc harum, nunc illarum vrbium, qui variis concertationibus pręmiisque cõtinerentur. Quæ vrbem collegia decẽtissimè essent inuecta;

Quæ

*vsui: ad quæ tantæ incommoda, hoc quoque accedit, quòd cùm ea regio omni ferè ex parte cincta sit & obsessa à populis schismaticis, propter assiduas hæreticorum insidias, dolos, fraudes, pestiferasq́ doctrinas, catholica illic fides & animarum salus in maximo discrimine ac periculo versatur. His causis adductus precibus etiam annuere volens, & pio desiderio satisfacere ipsius Philippi Regis, qui pro sua pietate & catholicæ fidei studio hac de re cum eo & sæpe & perquàm diligenter per literas & nuncios egit, habita sicut rei magnitudo postulabat cum* S. R. E *Cardinalibus deliberatione matura, tam grauiter periclitanti in illis partibus fidei orthodoxæ & animarum saluti, aptissimum esse remedium duxit. si veterum ecclesiarum in illa regione positarum Diœceses, commodioris regiminis causa diuideret, nouisq́, erectis cathedralibus ecclesiis, eiuscemodi præficerentur Episcopi, qui tum exemplo, tum verbo commissas sibi oues pascant, & proborum eorumq́ doctorum virorum copia muniti, idoneorumq́ opera ministrorum adiuti, illas aduersus insidiantium luporum rabiem tueantur, defendant, & custodiant: & Metropolitanæ aliquot ecclesiæ oportunis eius regionis locis erigātur, ad quas commodè adiri possit, quibus qui præfuturi sunt suffrageneos suos in officio contineant. Apostolica igitur auctoritate, & ex* S. R. E. *Cardinalium consilio ad Dei omnipotentis honorem, & ipsius Sanctæ Ecclesiæ vtilitatem, Cameracensem, Traiectensem, Atrebatensem, Tornacensem ecclesias, ciuitates & Diœceses à Remēsi Coloniensiq́, ecclesijs & prouincijs quibus erant iure Metropolitico subiectæ: Item Mechliniense, Antuerpiense, Harlemense, Dauentrien-*

*uentrienſe Leouardienſe, Groeningenſe, Middelburgenſe, Buſcoducenſe, Ruremondenſe, Namurcenſe, Audomarenſe, Iprenſe, Gandauenſe, Brugenſe, frequentiſſima Cameracenſis, Traiectenſis, Tornacenſis, Leodienſis, Morinenſis Diœceſium oppida à ſua quodque eorum Diœceſi & prouincia, exemit. Auulſit quoque eas Colonienſis, Oſnaburgenſis, Monaſterienſis & Padeburnenſis diœceſium partes, quæ in Philippi Regis ditione erant, quas eccleſijs Cathedralibus à ſe inſtitutis attribuit. Veteres verò Epiſcopales ſedes, Cameracum, Traiectum, ac Mechliniam oppidum eccleſias Archiepiſcopales conſtituit, reliqua tredecim oppida cathedrales ſedes erexit, quas hac ratione trium Metropolitanarum Suffraganeas eſſe voluit. Cameracenſi quidem Metropolitanæ, Atrebatum, Tornacum antiquas Epiſcopales eccleſias, ex nouis verò Audomarum & Namurcum ſubiecit. Traiectenſi Archiepiſcopali, nouas ſedes epiſcopales, Harlemenſem, Dauentrienſem, Levvardienſem, Groeningenſem, Middelburgenſem attribui. Nouam Mechlinienſem Metropolitanam nouis Epiſcopatibus Antuerpienſi, Gandauenſi, Brugenſi, Iprenſi, Buſcoducenſi, Ruremondenſi præeſſe voluit: cunctaſq; Epiſcopales & Archiepiſcopales ſedes iuris patronatus Philippi Regis & hæredum eius eſſe conſtituit, cum quo de ipſarum eccleſiarum redditibus, quibus Epiſcopi & canonici ali poſsint, tranſegit.* Hac itaque ratione præter Lutzenburgum prouinciæ cœteræ ſolutæ veterum peregrinorum domeſticorumque Epiſcoporum imperio in nouos Archiepiſcopos atque Epiſcopos tranſierunt. Cur autem Lutzenburgum

burgum in vetere instituto relinqueretur, ea vti accepimus causa fuit, quòd pauca per eam ditionem Monasteria existerẽt, neque detrahi de eorum bonis ob paupertatem res magna posse crederetur. Longissimè quoque à noui Archiepiscopi tribunali atque idiomate constitui eo loci nouus Episcopus minus commodè posse putaretur. Roma itaque in Belgium paucis diebus antequam Rex discessit, Pauli Quarti Nuncius Episcopus Clusinensis, atque vnà Sonnius reuertuntur: differre profectionem rebus constitutis diutius Rex non poterat, dat itaque id negocij Atrebatensi, videat vti quæ de nouorũ Episcopatuum limitibus atque dote oporteret citissimè constituerentur: Suscipit negocium Atrebatensis, inde re dilata ob mortẽ Pauli Quarti, nouis Pij Quarti mandatis, anno insequente rem eam agere instituit. Duo erant, vti ostendimus, quæ Nuncio curanda mandarentur, limitum descriptio, & dotis stipulatæ exhibitio: earum longè grauissima erat illa de dote quęstio. Delecti Cardinales, vti ostendimus, atque eos secutus Paulus Quartus, per pauca monasteria (quorum monachi de vitæ integritate reprehẽdebantur) ita Episcopatibus addixerant, vti Monachis in Canonicos commutatis, monasteria ea in posterum non existerent. De decimis præterea, non etiam de cœteris bonis, idq̃ue non vnius sed plurium vicinorum Monasteriorum tantùm acciperent, quantùm in annua tria ducatorum millia sufficeret. Paulo Quarto extincto mutata est ea sententia, dotisq̃ue costituen-

dę eam rationem Nuncius atque Attrebatenſis ſuſceperunt, vti per ſingulos penè Epiſcopatus, non ex multorum Monaſteriorum decimis dotem Epiſcopis conſtituerent, ſed vnius alicuius vacantis Monaſterij Epiſcopum Abbatem facerent. Monachos in vetere inſtituto relinquerét: huius ſui conſilij eam rationem adferrent, quòd Monaſterijs ea ratione de cultu pietatis atque bonis nihil decederet. Curam quoque eam eſſet Epiſcopus monaſterio impenſurus,. quam rebus ſuis bonus paterfamilias conſueſſet. Aſſignatur itaque Archiepiſcopo Mechlinienſi Abbatia Sanctorum Petri & Pauli Hafliginienſis ordinis ſancti Benedicti: Antuerpienſi Sancti Bernardi ad Schaldim ordinis Ciſtercienſis: Buſcoducenſi Tongerloenſe ordinis Præmonſtratenſis: Brugenſi Dronganum Ciſtercienſium: Harlemenſi Egmondanum Benedictinorum: Middelburgenſi Præmonſtratenſe eius vrbis: Namurcenſi Sancti Gerardi Benedictinorum. Multa quoque ad noua canonicorum collegia, nouemq. quas oſtendimus prębendas cohoneſtandas minorum collegiorum beneficiorumq. bona deſignantur. Archiepiſcopatui Mechlinienſi (quem Pontifex ſiue quòd Principi Bruxellis cõmoranti proximus in intima prouinciarum vrbe medius inter cæteros Epiſcopos habitaret, ſiue quòd id Regi Pontifex tribueret vti quam nouam Rex dignitatem impetrâſſet, eam cumprimis illuſtrem haberet, cæteris Archiepiſcopis ordine priorem effecerat) præficitur Cardinalis. Antuerpienſi Philippus Nigri deſtinabatur, verùm cùm antè

Philip-

Philippus moreretur quàm constitui res posset, factum est vt Albano imperâte è Buscoduco Sônius eius vrbis Episcopus Antuerpiam transfereretur. Ipras accipit Martinus Rithouius Theologus Decanus sancti Petri Louanij, qui rara sęculi fœlicitate, excellēti eruditioni eam laudatissimæ vitæ integritatem coniunxerat, qua maiorem rigidis nascentis Ecclesiæ moribus difficulter inuenias, vnus sibi semper constans, temperantia in victu, modestia in moribus, moderatione in disciplina, prudentia prosperis atque aduersis, liberalitate in egenos, pietate in omnes, studio in subditos, vir summus futurus, si rerum humanarum vsum maiorem habuisset. Brugis Episcopus constituitur Petrus Curtius Theologus, qui Louanij Ecclesiæ beati Petri diu Pastor præfuerat. Gandaui Cornelius Iansenius Theologus, Decanus sancti Iacobi Louanij, cuius illi sunt omnibus Academiis probati libri, Commentarij in concordiam Euangelicam, in Prouerbia Salomonis, in Ecclesiasticum, & paraphrasis in Psalmos. Rurę mondæ Guilielmus Damasi Lindanus Theologus Louaniensis cuius percelebris memoria iis libris est effecta, quos multos in Lutheranos & Caluinistas conscripsit. Vltratraiecti Egmondano, Egmondani Comitis patruo successit Fredericus Schenc, ex liberis Baronibus à Tautēberch, cuius pater Cæsari perutilem bello operam pręstiterat, cuius sunt libri de iure feudorum, iuris axiomata, de cultu imaginum. Harlemum accipit Nicolaus à noua terra. Midelburgum Nicolaus à Castro. Dauentriam

Frater Ægidius de Monte Francifcanus: Leeuvvardiam Cunerus Petri à Brauvvershauen, qui Petro Curtio Louanij paftor fuccefferat: Groeningæ Ioannes Cnifius Francifcanus : Cameracum mortuo Roberto Croio , ingenti noftrorum procerum ftudio Robertus Bredenrodius ambierat. Cardinalis Maximilianum à Bergis Bredenrodio oppofuerat.Bredenrodius præter generis fplendorem, rem aliam ad commendationem non attulerat,vicerat itaq. Cardinalis, primusq́. Maximilianus Archiepifcopus conftituitur: Atrebatenfi Epifcopatui cefferat Cardinalis,fuccefferat Francifcus Richardotus Burgundus,cuius Epifcopi permagnæ probitatis, facundiæ,doctrinę,prudenrięq́. laudes exiftebāt: Tornaci erat Epifcopus Carolus Croius: Audomari fit nouus Epifcopus Gerardus Hamericourtius Abbas fancti Bertini: Namurci Antonius Hauetius Dominicanus. Atque hoc eft illud nouorū Epifcoporum inftitutum, quod toto Belgio ita in plurimorum hominum fermonem inciderat, vti eius auctorem vnum Cardinalem profiterentur , multa quoque in commune adferrent cur admitti hoc Reip. periculofum inftitutum non oporteret. Alterum quod publicis hominum fermonibus priuatisq́ue Senatus deliberationibus agitatum,inuidiofum Cardinali extitiffe dicebamus, erat quæftio de hærefi. Multò antè quàm Lutheri difputationibus in partes Religio difceffit erat illa omnibus fcholis atque tribunalibus recepta fentētia, vti iure pœna mortis in hæreticos animaduerti diceretur.Et quidem veteres

*Edicta in hærefin.*

Impe-

Imperatores multis legibus Manicheorũ & Donatistarum Religionem ad crimen publicum retulerant, quia inquiunt: *Quod in Religionem diuinam committitur, in omnium fertur iniuriam.* Mortem quoque hisce verbis indicunt: *In mortem quoque inquisitio tendatur*. Libros improbatæ lectionis igne cremandos, scriptori manum amputandam, lectori deportationem, hæreticorum discipulis pœnam decem librarum auri, hęreseos professori mortem ita constituunt: *Vltimo etiam supplicio coërceantur, qui illicita docere tentauerint.* Ætas posterior totam eam quæstionem ad cognitionem iudicum ecclesiasticorum reuocauit: multaque præter cæterorũm iudiciorum ordinẽ in odium eius criminis definiuit, ea cautione, vt pœnitentes libenter absolueret, pertinaces damnatos criminis iudicibus relinqueret quibus ius gladij cõpeteret, cognitores de crimine vel Episcopos cõstitueret, vel quæstores extra ordinem Pontifices darẽt. Pœna verò qua iudices in damnatos vterentur, erat ignis, quam Panormitanus ita legitimam existimauit, vti huius pœnæ consuetudinem legi diuinæ, Canonicæ & ciuili cõsentire profiteatur. Cùm itaque Lutherus est exortus, atque eius hominis arrogantiam eę sint calamitates consecutæ, quę Germaniam turpissimis motibus concitarent, factum est, vti Cæsar Carolus in damnatum à Leone Decimo Lutherum pro imperio ea statueret, quæ vetere iudiciorum more probarentur, Leges inde nonnullas in Lutherum per Germaniam superiorem, plures per patrimonij sui ditiones promulgaret,

*C. de hæreticis. l. Manichæos.*

*l. quicunque. d. tit. de hæreticis.*

*c. vt inquisitionis in 6.*

*c. ad abolendam extra de hæreticis.*

è quibus primum ni fallor id fuit, quo VVormatię ad annum M. D. XXI. Lutherus proſcribitur, eius libri damnantur. Proximum Mechliniēſe ad annum M. D. XXVI. in eos conceptum, qui de Religione diſputarent, Lutheri libros legerent, ea pœna, vti qui in edictum primò peccaſſet, florenis viginti, vel exilio trimeſtri: qui iterum, florenis quadraginta, vel exilio ſemeſtri: qui tertiò, florenis octuaginta, vel exilio perpetuò coërceretur. Succeſſit huic edicto tertium anni M. D. XXIX. in eam ſententiam vt qui intra diem certum ab hæreſi diſcederet, huic ea culpa damno non exiſteret. Qui intra eum diem non diſcederet, huic ſi accuſatus pœniteret, gladium: ſi perſeueraret viris ignem, mulieribus foſſam cōminaretur. Repetita inde annis M. D. XXXI. XL. & L. tranſlatitiis edictis, res eadem ſępius: omnium earum legum ea erat ſumma: Qui doctrinam Lutheri, Oecolampadij, Zvvinglij, Melanchthonis, Caluini, cœterorum qui multi edicto commemorantur ſequerentur, libros damnatæ lectionis publicarent, legerent, haberent, picturas Beatæ virgini, religioni catholicæ contumelioſas haberent, ſacras catholicas imagines malo animo frangerent, violarent, in eos homines pœnitentes gladio: non pœnitentes, viros igne, mulieres foſſa animaduerteretur. Bona tam pœnitentium, quàm non pœnitentium fiſco cederent. Vt lege Iulia, Maieſtatis, ex quo die crimen ſit contractum, ex eo die retro inteſtabiles rei exiſtant. Qui domum illicitis conuentibus præbuiſſet, libros excudiſſet, hæreticos ope, con-

ſilio,

ſilio, dolo malo iuuiſſet, crimine teneretur. Si reus delatus de crimine conuinceretur, bona ſexcentos florenos non excederent, dimidium bonorum fiſci, partem alteram accuſatoris futuram. Sin florenos ſexcentos excederent, decimam bonorum accuſatoris futuram. Si crimem contractum probaretur, arbitrari iudici de pœna non liceret. Qui delatus Anabaptiſta fugiſſet, cōtumax ſententiam accepiſſet, de ea ſententia reſcindenda non reus, non quiuis pro reo ſupplicaret, quin vt loquuntur Imperatores ad legem Iuliam, eos fore notabiles ſine venia, qui pro talibus interuenire tentauerint. Diſputare prophanis hominibus de Religionis capitibus non liceat: Peregrini intra vrbes atque pagos inquilini ita demum admittantur, ſi Parochi cui poſtremò paruiſſent probatę fidei teſtimonium haberent. Qui iudices Inquiſitoribus Eccleſiaſticis operam non præſtarent, eos Procuratores generales vel dignitate ſubmouerent, vel quibus videretur pœnis coërcerent: adiecta poſtremò multa capita de Typographis, quibus accuratè cauebatur, vti ne per eos homines libri hæreticorum in vulgus ſpargerentur. Atque hæ erant illæ ſeueræ, vti credebatur, Cæſaris leges, de quibus id acciderat, vti de quarum ſeueritate ne hiſcere quidem homines initio auderent, de iis poſtea ita variè homines loquerentur. Re certa eam quæſtionem de hæreſi non eſſe definitam, ea ratione fieri, vti leues multorum ſermones ad grauiſſimi criminis culpam pro libidine traherētur: multa vulgi vſu publica Religione cōtineri,

*Varia hominum de Cæſaris edictis ſermones indiciáq;.*

quæ neque veteris ecclesiæ moribus, neque sanæ doctrinæ conuenirent: Indignum qui Reformationem postularent, grauissimi eos criminis reos flagitari, calamitosum, & quod ferre liberos homines non oporteret, rapi ad crudelissima supplicia: Cætera probos honestissimorum ordinũ viros nullo dolo malo, solo veri studio, à communi hominum sensu dissidentes, cõtra omnem vetustatis memoriam, canonum auctoritatem, Romanorum Pontificum decreta, pœnitentes damnari: Multos abduci ab hęresi idcirco nõ potuisse, quod pœnitentiæ, mortem: pertinaciæ, laudem constantiæ proponi intelligerent. Non fuisse cur simulatam pœnitentiam Cæsar vereretur, prouisum fuisse huic malo eo capite, quo de relapsis iure caueretur. Accidere id quotidie, vti quibus à rebus initio grauatè metu periculorum abduci sese homines paterentur, ab iis vti pòst libentes abstinerent. Hispaniam quę vna seuerissimè quæstionem de hæresi exerceret pœnitentibus pœnam condonare, leges eas ferri oportere, quibus facta, non etiam cogitata punirentur; vnum esse Deum cui voluntas peccaret, Rempub. quatenus manu teneri res possunt, eatenus esse legibus procurandã, cætera confessariis, concionatoribus, bonorũ virorum doctrinæ atq. exemplis relinqui debere. Accedere id quoque iis legibus, vti cùm grauissimis sese pœnis ob susceptas rerum diuinarũ cogitationes coërceri homines animaduertunt, tũ in eam sentẽtiam facilè discedant, Christi vti se discipulos cruce profiteantur: Pharisæos contra atque Scribas, eos clericos qui dignita-

dignitatem non tam rationibus quàm ſupplicio-rum grauitate tuerentur: Malos dæmones iis artibus rem tueri, quibus creuiſſe ſummi Dei verũ cultum animaduerterent. hinc effectum, vti Lutheranos, Caluiniſtas, atque his deteriores Anabaptiſtas in eum animi errorẽ abduceret, vti populo admirante ad ſupplicia lætabundi procederent, ignem vultu hilari, ad Deum Patrem vti loquerentur profecturi, ingrederentur: Rem eam id ſequeretur, vti ad Catholicos commiſeratio, ad cæteros latiſſimè pertinacia tranſiret. Habere id quoque incommodi eas leges, vti quæ res vna rem Belgicam ſuſtineret, cõmerciorum libertas retineri in Belgio per eas leges diutius non poſſet: Vidiſſe id Reginam Hungarię, quæ hac de cauſa Auguſtam in Germaniam ad fratrem fuiſſet profecta, Cęſar contrà abduci à vetere inſtituto difficulter poterat, tum quòd ea animorum atq. corporum pericula ſpectaret, quæ ſequi hæreſim grauiſſima conſueuerunt, tum quòd ſemel laxatis frenis conſiſtere hominum impietatem nullo poſſe loco animaduerteret. Illud quoque exiſtimaret, facilem earum legum obſeruantiam futuram fuiſſe, ſi fidem quam oporteret præſtare iudices voluiſſent. Probare id Hiſpaniæ atque Italiæ exemplum, quæ quæſtionibus; Probare Heluetios, qui metu diſciplinæ Religionem catholicam inter tot hoſtes egregiè tuerentur. Quòd vt maximè ita Cæſar exiſtimaret, diceretque eam eſſe huius vitij, quæ ſit omnium omnino rationem, vti augeri indulgentia, tolli metu id ſit neceſſe: tamen quod hiſce de rebus ſæ-

pius

pius moneretur. (Licet edicto anni M. D. L. nonnulla priorum legum capita fuisset interpretatus) fecit nihilominus vti anno M. D. LIIII. cum Regina, Atrebatensi, Comite Lalaignij, Ludouico de Flandria Domino Pratij, & Viglio re deliberata in hanc sententiam veteres leges denuo interpretaretur: Quòd disputationes de rebus semel definitis prohiberentur, nec ad Theologos, nec ad eos Laicos pertinere, qui studio pietatis de scripturæ interpretatione ex veteris ecclesiæ Catholicæ sententia colloquia conferrent. Quòd à die contracti criminis intestabiles hæretici dicerentur cò solùm pertinere, vt quas in fraudem metu criminis, dolo malo alienationes fecissent, vti eæ ratæ non existerent. Nunquam id Cæsari studio fuisse, vti incerti omnes hominum contractus metu rescissionis efficerentur. Pœnam receptatorum ad nautas, caupones, cœnacularios, stabularios ita demum non pertinere, si non etiam dolo malo, quo quis lateret recepissent. Accusatores si calumniam facerent, iure scripto coërcerentur: Si pœnitentes ecclesiæ restituti, rem nullam ad homines corrumpendos dixissent, fecissent, pœna non tenerentur. De pœnis facilè iudex non arbitraretur; permittere nihilominus Cæsarem, vti graui de causa discedere ab ea seueritate superiorum iudicum consilio, inferiores iudices possint. Atque his equidem legibus sæculares, vti loquimur, iudices de hæresi cognoscebant: Verùm quòd iure caueretur, vti hæresis cognitio ad forum ecclesiasticū perti-

*Inquisitio*

pertineret, factum est vt Cæsare rogante quęstores de hæresi Pontifex daret, inde iis mortuis Rege postulante, nouos hosce amplissimis mandatis constitueret, Sonnium, Rithouium, Curtium, quos Episcopos pòst factos ostendimus, Iudocum Rauenstenium & Michaëlem du Bay Athensem Theologos Louanienses: ab his quòd superesse cunctis prouinciis pauci homines minus possent; necessariò ea ratio est suscepta, vti mandati Pontificij auctoritate, distinctam prouinciis iurisdictionem, quibus videretur mandarent. E quibus subdelegatis vnus toto Belgio notissimus fuit Petrus Titelmānus Decanus Romacensis, siue quòd Flādriam, Insulas, Duacum, Orchinium, Tornacum & Tornacesium, populosas esset prouincias sortitus, siue quòd vnus præ cæteris rigidiùs habere quæstiones diceretur. Habebant hi Inquisitores suam quam sequerentur à Pontifice, è iure scripto moribusque conceptam formulam, adiecit alteram Rex Philippus, quam ascribere iisdem quibus est cōcepta verbis idcirco libet, quòd omnium in posterum calamitatum cōstante hominum sermone caũsa extitisse, Inquisitio perhibeatur.

*Inquisitorum regia mandata.*

*PHilippus Dei gratia, Rex Angliæ, Franciæ, Neapolis, Ierusalem, Princeps Hispaniarũ, &c. Uniuersis fidelibus nostris tam ecclesiasticis quàm sæcularibus gratiã nostrã Regiam & omne bonũ: Cùm superioribus diebus inuictissimo & potentissimo Principi, & Domino, Domino Carolo eius nominis quinto Romanorum Imperatori semper Augusto, genitori nostro colendissimo visum fuerit prouincias & terras omnes tam*

*tam patrimoniales, quàm alias hæreditario iure ad se pertinentes in Belgica, & inferiori Germania sitas in nos pleno iure, pureq́, & absolutè transferre, ac ratione translationis cessionisq́ huiusmodi nobis factæ suscepti à nobis regiminis muneri incumbat, populum nobis subditum ad laudem & honorem Dei omnipotẽtis in vnitate sanctæ & catholicæ religionis conseruare, hæresesq́ passim ibidem pullulantes extirpare, compertumq́ habeamus præfatum parentem nostrũ multa in eum finem salubriter & prudenter statuisse, & inter cætera quoque Inquisitoribus hæreticæ prauitatis à sacra sede apostolica deputatis Instructionem tradidisse, quò munus sibi commissum cum maiore religionis fructu, & Reipub. commodo quietè & tranquillè peragere possent. Cuius quidem instructionis tenor de verbo ad verbum sequitur, & est talis:*

*Cùm sacra Cæsarea Maiestas pro ea deuotione quam erga Deum, sanctam ecclesiam, catholicam, religionemq́ Christianam, & vniuersos Christi fideles ex debito imperialis officij gerit, multis modis conata sit omnes hæreses & errores (qui hodie in diuersis mundi partibus pullulant) & præcipuè præcauere, ne boni & simplices Christiani à pseudoprophetis (qui sub veste ouili tanquam lupi rapaces discurrunt ad seducendos iustos & pios, eorum peruersa dogmata sub specie pietatis illis inculcãtes) subuertãtur, diuersas fecerit constitutiones, ordinationes & edicta, præcipuè in ditionibus inferioris Germaniæ, suæ Maiestati ex successione suorum prædecessorum subiectis, ac alijs suæ Maiestati postea incorporatis ac acquisitis, quæ strictè obseruari & debitè executioni mãdari voluit, prout & adhuc vult.*

*Quibus*

*Quibus per experientiam rerum magistram compertum est, non sufficienter negocio tam arduo & pio esse satisfactum, præcipuè propter nonnullos malos sacerdotes & viros ecclesiasticos, qui non obstantibus huiusmodi ordinationibus & edictis, simplices populares & laicos peruersa eorum doctrina inficere, & à via veritatis, & vnione sanctæ matris ecclesiæ seducere non formidant: Sua Maiestas huic etiam malo mederi volens in Prouincijs inferioris Germaniæ suæ Maiestati ratione sui patrimonij subiectis, certos inquisitores hæreticæ prauitatis viros doctos & probatos, inculpatæ vitæ & famæ ordinari & designari curauit, quibus data est ampla potestas contra omnes hæreticos, & de hæresi suspectos, eorumq; fautores & receptores, inquirendi, procedendi, corrigēdi & puniendi, nec non procedendi ad degradationem ecclesiasticorum, & traditionem curiæ seculari, iuxta formam & tenorem literarum apostolicarum desuper confectarum. Et vt hæc tam sancta, & tam necessaria inquisitio meliùs & commodiùs fieri possit, sua sacra Maiestas tanquam dominus supremus Inferioris Germaniæ ordinauit & statuit ea quæ sequuntur.*

*Inprimis vt prædicti Inquisitores & Commissarij, seu alter eorum assumpto secum notario viro integro & experto ad exercitium actus notariatus in his partibus admisso, debeat expensis suæ Maiestatis visitare prouinciam sibi commissam, & diligenter tā apud officiatos suæ Maiestatis quàm alios viros pios & integros inquirere, si qui sint hæresi infecti, aut de ea vehementer vel ex probabilibus coniecturis suspecti. Similiter si aliqui sub se habeant aut legant libros prohibitos,*

*prohibitos, & damnatos aut teneant conuenticula in quibus de sacra scriptura aut religione Christiana disputent, aut communicent, deq; illorum fautoribus aut receptoribus suamq; informationem per notariũ in scriptis autenticè redigi curare, quæ diligenter custodiri debeat, vt ad eam quoties necesse fuerit recursus ac relatio habeatur. Debentq; dicti Inquisitores & Commissarij examinare testes per eos audiendos in forma iuris præstito solemniter Iuramento de dicenda veritate, omni odio & fauore exclusis. Et illos admonere, ne aliquem accusent aut deferant per inuidiam, aut aliam occasionem: Et diligenter interrogare de causa scientiæ suorum dictorum, & illam in Informatione inferre ne viri boni iniustè schandalizentur.*

*Et si aliqui apud Inquisitores compareant volentes alium deferre super hæresi, ea tamen conditione, quòd nomen delatoris celabitur, & informationi non inseretur vt sæpius contingit, illos tanquam testes non recipient, neque eius delationem informationi inserẽt, neque ex eiusmodi delatione contra aliquem procedent, seruabuntq; secretè ea quæ eis deferentur, absq; eo quod publicabunt delatores, nec etiam depositiones testium, nisi quatenus ad procedendum contra Reos de iure fuerit necessarium: tenebuntur tamen omnes audire, & si per alios delatio vera probari poterit, ex depositione illorum (si sufficiens sit) contra delatum procedent nullo habito respectu, ad delationem huiusmodi quæ pro nulla reputabitur.*

*Et si prædicti Inquisitores commissarij comperiant aliquos qui per inuidiam aut alia occasione alios iniustè detulerint, hoc Iudici & magistratui loci, aut*

bas & Pharisæos, qui accedere ad Christum plebem non paterentur: qua ratione est effectum, vt odiosa prudentioribus hæc illa Rhetorica extiterit, multique sint inuenti, qui nouarum Religionum studia accensa ea ratione fuisse profiterentur. Atque hæc de vulgo. Clerus fœlicitate publica ita fruebatur, vti Monasteriorum Abbates, homines omnium minimè mali curas publicas ita susque deque haberent, vti nonnulli pietati, plures hospitibus excipiẽdis, nobilibusque demerendis tranquillum vitæ genus impenderent. Nobilitas varijs retro Principum beneficijs creuerat, multùm initio ad dignitatem contulerat ordo velleris, quem demonstrauimus. Accesserant Cæsarum Frederici, Maximiliani atque Caroli honores, qui gentem Croiam titulis Ducatus Areschoti, Principatus Chimay, Marchionatus Rentei, & Comitatus Rodij cohonestârãt: Egmondanis Egmondam & Buram: Lalaignijs Lalaignium & Hoochstratam singulis ea feuda comitatus effecerant: Melodunis postremò, Hornanis, Ligneis, Pallantijs, Bergensibus, Henninijs, Glimeis, titulos Principatum Espinoy: Comitatus Hornæ Lignij, Culenburgij, Tsherenbergæ, Bossuti; Marchionatum Bergæ ad Zomam, attribuerant. Præter hanc titularem frequens atque ea illustris locis omnibus nobilitas, vniuersa Religionis catholicæ atq. Regis. perquàm studiosa existebat: quod quo potius argumento probabimus, atque posteriorum temporum tumultibus, cùm è tanta nobilitate, tam præ reliqua multitudine perpau-

*Cleri studia.*

*Nobilitatis.*

ci, abduci, tot publicarum priuatarumque rerũ malis, tot callidissimorum hostium dolis ab officio potuerunt. Erant nihilominus cùm Rex discessit, hi plurimorum nobilium sermones, vti exhaustos loculos, ęs alienum, multam suam operam expensam Regi ferrent, accepti contrà summam vel nullam, vel perexiguam quererentur: quæ quidem querimonia apud illos quos dicebamus titulares plurimùm valebat, quòd æri alieno, nulli iam fundi, nulla credita sufficerent. Inter magnas itaque mercatorum atque vrbium opes vna egebat nobilitas, quæ bello sublato qua se ratione domi pro dignitate sustineret, difficulter inueniebat: & quidem minorum gentiũ nobilitati vna restabat ratio, vectigal nouennale, quod in equites præsidiaque erogabatur: Titularibus, quibus angusta domi res, foris atq. domi magnus animus existebat, sufficere ea res non poterat; facilè itaque accidere fuit necesse, vt quibus domi esset malè, ij eam Reipub. formam non probarent, quæ domesticis atque occultis malis non mederetur, eos quoque odisse homines inciperent, per quorum auctoritatem stare arbitrarentur, vti quæ vellent non impetrarent, quæ res Rege profecto, citò apparuit. Nicolaus Perrenottus Grãuellanus Burgundus ingentem quam apud Cæsarem auctoritatem atque fidem inuenerat inter tot, tam lubrica palatiorum consilia constante Cæsaris voluntate ad extremum vsque diem tenuerat: multos hic Granuellanus liberos reliquerat, è quibus tres cœteris Belgio notiores extiterunt, Antonius Episcopus Atrebatensis:

*Granuellanorum in Belgio auctoritas*

batensis: Thomas qui Reginaldi Bredenrodij filiam in matrimonio habuit, Legationesque in Gallijs & Germania apud Cęsarem atq. Regem diu obiuit, & Fredericus Dominus Champaignei. Antonius multò antè quàm pater Augustę in Germania, anno M. D. L. est mortuus, ad Rěp. admotus Cæsari se probârat: pòst patre mortuo ita rem gesserat, vti non tam paternis quàm suis meritis in eam Cæsaris beneuolentiam peruenisse existimaretur, vti imperio decedens Cæsar, multa de illius præclara in se fide Regi commemoraret, vnumque hunc esse ostenderet quo vti eum summis Reip. negocijs desideraret. Manserat itaque eadem Antonio apud Regem quæ fuerat apud Cęsarem gratia, grauissimisque rerũ publicarũ deliberationibus adhiberi à Rege cõsuêrat. Orãgius hoc Antonio perquàm familiariter atque amicè vtebatur, fuerat enim Orangij perquàm studiosus pater Granuellanus tum, cũ de Renati Chalonij hæreditate disputaretur, neque iure pertinere eam Schorus Præses concilij priuati ad hæretici filium posse affirmaret: vnius enim Granuellani auctoritate Orangius tum fuerat defensus, multisque ita pòst beneficijs à Grãuellano fuerat cultus, vt se Orangio apud Cæsarem patronum, filium Hieronymum eius familiæ atque ineunti adolescentiæ præfectum daret: quod Grãuellanorum in se studium ita Orangius excipiebat, vti Legationes, cœterarum rerum negocia, si quæ publica cum Atrebatensi inciderent, summa ea animorum consiliorumque concordia procuraret: de rebus priuatis,

*Orangij & Granuellani amicitia.*

uatis, nisi auctore Atrebatensi rem grauiorem nullam constitueret: peregrè Bruxellam adueniens antè, sæpenumerò apud Atrebatensem, quàm domi ex equo descenderet; multaque Atrebatensi vel impedito, vel absente, ijs ædibus libertate vteretur. Quin cum Egmondano, cœterisque (præter Hornanum qui Regem in Hispanias fuerat secutus) Belgij proceribus optimè Atrebatensi conueniebat: quod vt maximè ita existeret, facilè nihilominus in occultas animorum simultates est discessum: Tam enim inter honorum atque imperij corriuales veræ amicitiæ existere nullæ possunt, quàm reperiri cælo odia non possunt: & quidem occulta odia quæ prima sese offerrent, erant illa, quæ ob Parmensem Duci Sabaudiæ substitutam animos versabant. Orangius atque Egmondanus sibi quisque eam dignitatem ambierant. Rex in duas Principes mulieres consilio nutârat, Christiernam Lotharingiæ, & Margaretam Parmæ Ducem, candidatos sese profiteri neque Orangius neque Egmondanus potuerant, spem nihilominus magnā animo vterque gesserat: Orangius amissa vxore Anna Egmondana, Maximiliani Buræ Comitis hærede filia, Christiernæ filiam vxorem ambiebat. Officiosè itaque Christiernam Orangius colebat, totumq. ei se studio palàm dabat, vti Christierna imperium à Rege acciperet: faciebat idem Egmondanus, cæterique complures. Erat enim Christierna & gratiosa nostris hominibus, & quæ tenere eam dignitatem præclarè posse diceretur. Cùm itaque ea spe deceptos Parmensem

*Odiorum in Episcopum Atrebatensem initia.*

*Parmensis cæteris ad Belgij præfecturam prælata.*

à Rege

à Rege delectam accipere fuit necesse, tum equidem ferre id complures indignè, totamque eam culpam Albano atque Atrebatēsi ascribere, quos Bruxellis in hortis cuiusdam Marci Antonij collatis consiliis in Parmensem conspirâsse affirmarent: quæ res eò Orangium quàm cæteros magis pungebat, quòd & ambitis nuptiis frustratum sese indignaretur, atque eò minorem futuram suam in posterum auctoritatem iudicaret, quòd sese repugnante ea imperio esset delecta, quam fauere iis esset necesse, quorum studiis ad imperium peruenisset. Quin ij sermones passim ferebantur, Parmensem duorum Italiæ Ducum matrimonio, Florentini & Parmensis diu à Belgio absentem, ita sese Italiæ dedisse, vti neque Belgicarum rerum vsum, neque amicitias per Belgium permagnas haberet, multis in speciem honestis rationibus à Christierna Regis animum fuisse abductum: quòd veteres Burgundionum hostes Lotharingi existerent, quòd Lotharingis permixtos Gallos versari per Belgium non oporteret, quòd pro generis atque loci quam teneret dignitate plus æquo maiores esset animos Christierna habitura, plus quoque Orangio cæterisque eius ordinis hominibus tributura crederetur, quàm tribui Atrebatensis postularet: Parmensis contrà officium exactè esset præstitura, filioque Alexandro apud Regem commorante, maritum Octauium Italicis Regis negociis commodissimum hoc Regis in se beneficio esset effectura, fuisse iis rationibus Regi persuasum, vti hanc potissimum deligeret,

apud quam dominari pro arbitrio is Atrebatensis posset, qui auersam à cęteris Regis voluntatē in se vnum conuertisset: quæ quidem nostrorum hominum sentētia crebrioribus etiam sermonibus ventilari palàm cœpit, cùm (anno insequēte M.D.LX. à Pio Quarto Pōtifice, qui Paulo Quarto successerat) in Cardinalium collegium Perrenottus est cooptatus: quæ res vt maximè summū Pontificis atque Regis in Perrenottum studium testaretur, vulgo ita fieri consuêsset, vti qui auctoritate apud Reges plus cæteris valerent, tamdiu in se hominum studia facilè tenerent, quamdiu eadem apud Reges gratia valerent: In grauissima quoque hominū odia ita demum citissimè laberentur, si excidere eos Regum gratia semel contingeret: tamen quòd absentis Regis studium vulgi oculos atque aures lateret, discedereque à Cardinale ij cernerentur, quorum domi apud nobilium cæterorumque hominum vulgus auctoritas magna existeret; facilè est effectum vt de Cardinalis apud homines gratia multum ob hanc nouam dignitatem decederet: siue quòd nostris prouinciis insuetæ amplissimę dignitatis ferre sese regalem fastum minus posse homines profiterentur: siue quòd ad nouas Religiones coërcendas, cęteraque Romanornm Pontificum negocia procuranda hoc esse donatum Romani Pontificis supremo munere Perrenottum quererentur. Accessit, quòd res duę magna sententiarum varietate agitari publicis consiliis inciperēt, nouorum Episcoporum institutum, & quęstiones de hęresi. Et quidem de nouorum Episcoporum

*Antonius Perrenottus fit Cardinalis.*

rum

rum instituto ita res erat. Philippus Dux Burgundiæ imperij Belgici princeps, qui Flandriæ, Artesiæ, Hannoniæ, quas prouincias paterna hæreditate acceperat: Brabantiam, Lutzenburgum, Hollandiam, Zelandiam, Phrisiam, Namurcum, Picardiæ, vicinarumque prouinciarum non exiguum tractum, ad imperium sibi adiecerat. Cùm multa ad noui imperij dignitatem versare animo consilia consueßet, tum illud agitare solitum fuisse accepimus, vti cùm tot prouinciis vnum modò haberet Episcopum Atrebatensem, loca cætera peregrinis Episcopis parerent, nouos suis prouinciis dari à Romano Pontifice Episcopos postularet. Erat enim iis temporibus cumprimis illustris per Europam ea muneris Ecclesiastici dignitas, neque ferre id facilè homines poterant, vt Tornacum & Morinum iuris Gallici vrbes, sin minus prophano, at certè ecclesiastico imperio Flandriæ imperarent: Maneret quoque ea auctoritas per Philippi ditiones penes Germaniæ Episcopos, Coloniensem, Treuirensem, Vltratraiectinum, Leodiensem, Cameracensem, Metensem, Monasteriensem, Osnabrugensem, Padelbornensem: quin Ludouico Maleano imperante Gandauenses, quibus cum Tornacensibus malè conueniebat, Episcopum sibi seorsim procurârant, cui eos fructus atque redditus attribuerent, quos per Flandriam Episcopus Tornacensis habebat. Verùm cùm perficere rem eam Philippus non potuisset, neque filio Carolo à bellis ocium extitisset, factum est, vti Cæsar Carolus hoc abaui Philippi consilium animo sæ-

*Nouorum Episcoporum in Belgio institutum.*

penumerò ſecum repeteret, tum quòd ad imperij dignitatem, tum quòd ad Religionem procurandam (cuius ingenti ſtudio tenebatur) pervtilem eam rem futuram iudicaret. Acceſſerant ad Cæſaris imperium poſt Philippi abaui mortem, Tornacum, atque Vltratraiectum: illud diu obſeſſum fame ad deditionem coactum: iſtud Henrici Bauari Epiſcopi ſubditorumque ceſſione in Cæſarem tranſlatum. Morinum quoque vrbe atque templo exciſo motari inter vrbes deſierat. Cameracenſis poſtremò Epiſcopus arce præſidioque à Cæſare vrbi impoſito in domeſticorum Epiſcoporum ſocietatem tranſierat: laxior nihilominus horum Epiſcoporum peregrinorumque minus commoda quàm Religioni conueniret, Iuriſdictio Cæſari credebatur: ſæpe itaque hac de re agere Cęſar cõſuêrat, multaq. ad rem conficiendam conſilia ſuſceperat: Verùm cùm neque à bellis ocium inueniret, & modò Cardinalis Erardi à Marca, modò Georgij ab Auſtria patrui nothi Epiſcoporum Leodiẽſium gratia atque auctoritate impediretur, factum eſt vti antè quàm imperio decederet, conficere rem eam Cæſar non potuerit. Suſcepta inde eius rei cogitatio à filio Philippo, tum quòd patris monita conſiliaque plurimi facere conſuêſſet, tum quòd Religionis catholicæ ita ſtudioſus exiſteret, vti huius vnius rei ſtudio omnem imperij atque ſuam dignitatem metiretur. Mandata itaque eſt à Rege ea res legato, quem Romę apud Paulum Quartum habebat, miſſusq. è Belgio qui legato operã eo negocio pręſtaret Franciſcus Son-

nius

nius Theologus Louaniẽſis,& Canonicus Vltraiectinus.Propoſitam ſibi rem Pōtifex ſeptem Cardinalibus examinandam cōmittit. Referunt delecti Cardinales:Licitam eam eſſe diuiſionem, tum quòd eæ rationes ſeſe offerrent quæ Extrauagi Saluator noſter de præb.iure ſcripto continerentur,tum quòd hæreſibus ea pars Germaniȩ infeſta exiſteret.Expedire quoq. vti ea diuiſio admittatur, eſſe enim per ea loca eam territoriorũ atq.idiomatum diuerſitatem,vt neque extra ſuas prouincias in ius vocari,neq.vocati niſi per interpretẽ intelligi à ſuis Epiſcopis homines poſſint: eam quoq. prouinciarum atque vrbiũ multitudinem,eam doctorũ hominum copiam iſthic reperiri,vti eccleſiæ vniuerſæ,hominumq́ue per ea loca ſaluti vtiliſſima ea res ſit futura. Quòd tertio loco quȩrebatur, Num euocari à Romano Pōtifice eos Epiſcopos oporteat quorũ interſit eam diuiſionẽ non fieri,placere delectis Cardinalibus,euocari eos nō debere, eſſe enim eas huius poſtulatȩ à Rege diuiſionis iuſtiſſimas grauiſſimasq́.rationes,vti canonũ auctoritate Epiſcopis etiã inuitis facere id Pōtificem oporteat. Epiſcopatum Vltratraiectinũ latiſſimè per ſuperiorẽ atque inferiorem Vltratraiecti ditionẽ,Hollandiã, Zelãdiam,Geldriam,Friſiam,atq. Flãdriam protendi,cōmodiſſimam itaque eam rationem futuram,vt in quinque nouos Epiſcopatus ita regiones diuidantur,vti Primus Dauentriæ in ditione Tranſiſulana: Alter Harlemi in Hollandia: Tertius Leeuvvardiæ in Friſia:Quartus Middelburgi in Zelãdia:Quintus Groeningæ conſtituatur.

Futurum ea diuisione, vti & singuli hi noui Episcopatus maiores Tridentino Episcopatu sint futuri, & Vltratraiectino ij termini sint mansuri, quibus laxiores tota Italia nullus Archiepiscopus haberet. Quod à Rege postularetur vt ecclesia Vltratraiectina his quinque Episcopatibus iure metropoleos pręesset, legibusque solueretur, quibus Archiepiscopo Coloniensi teneretur, eius rei complures esse cur id facere oporteret rationes: Habere Vltratraiectum quinque Canonicorum collegia, vrbem in vicino positam, subditorum Episcoporum negociis commodissimam futuram: Coloniam, totumque illud iter quo Vltratraiecto Coloniam iretur infestum hæreticorum hominum libris, sermonibusque existere; Coloniensem muneri non satisfacere, nullum esse tam grandæuum toto Episcopatu Vltratraiectino, qui procuratas à Coloniensi eius ditionis ecclesias recordetur: Contrà, multos inueniri qui affirmarent retineri ecclesię disciplinam idcirco non posse, quòd in quos esset homines Vltratraiecti iure animaduersum, iis pænam Coloniensis condonaret, sacrisque restitutos, peiores in posterum homines efficeret. Probari itaque sibi hoc præsertim tempore, quo Archiepiscopum Colonia non haberet, vti Regi ista postulanti Pōtifex assentiatur: Probari quoque, vti per singulos nouos Episcopatus nouem primò vacaturæ præbendę hunc in modum cōferantur: Tres tribus Doctoribus vel Licentiatis Theologię: Tres inde tribus Canonistis: Tres reliquæ tribus eius ditionis nobilibus: idque ea lege,

Vltratraiectum.

lege, vt hi Doctores & Licētiati Episcopo in munere Inquisitionis cæterisque Religionis negociis operam præstent, dignitatem eam in capitulo teneant, vti proximi Decano senioribus qui nunc essent defunctis in posterum existant. Ex eorum numero qui Pontifici probarentur duo seniores, Theologus vnus, Canonista alter per eam ditionem Inquisitores constituantur, cæteri Inquisitoribus consilium atque operam exhibeant. Probari, vti singulis ecclesiis Cathedralibus, vnus Archidiaconus, tot Archipresbyteri constituantur, quot ditioni necessarij sunt futuri. De dote nouis Episcopatibus assignanda, probari, vti bona quorundam Monasteriorum, quæ hodie nō Christo sed priuatorum commodis, & vitæ voluptatibus inseruiūt, & in quibus pręter regulam indecorè viueretur: nonnulla quoque ecclesiarū collegiatarum bona in quibus plures sint canonici, quàm ministerio publico sit necesse, nouis Episcopatibus vniantur. Rem eam per singulos Episcopatus curari ista ratione posse: Vti Episcopatui Dauentriensi vniatur Præpositura Ecclesiæ S. Liuini, in qua cathedram Episcopus est habiturus: tantum quoque de decimis, quas habent in Geldria Abbas Sancti Pauli, & collegia Vltratraiectina Episcopatui vniatur, quantum ad summam trium millium ducatorū auri de Camera, in annos singulos sufficiat, ea lege vti Abbatiæ plus æquo non auferatur; & pro rata bonorū quæ ijs collegiis Vltratraiectinis est decessura, minuatur iis locis numerus Canonicorū. Harlemēsi suffecturam partem tertiā bonorū Abba-

Abbatiæ Egmondanæ, partem reliquam monasterio abundè quoque suffecturam. Bona monasterij de Heyloo ordinis regularium (quod à monachis apostatis bis exustum nondum esset restitutum) collegio canonicorum Harlemensium posse assignari. Quæ res si numero duodeviginti vel viginti canonicorum non sufficeret, non incommodè ditiores eius vrbis Capellanias in Canonicatus posse commutari, Frisiam multas habere Abbatias, in quibus malè viueretur, rectè itaque facturum Pontificem, si bina Monasteria ordinis Præmonstratensis Marigarde & Lidlum ita nouæ cathedrali ecclesiæ Leeuvvardiensi attribueret, vti ex eorum monasteriorum bonis Episcopus in annos singulos tria millia ducatorum accipiat, reliquum Monachi facti canonici æquis partibus accipiant. De Groeningensi probari, vt bona Abbatiæ de Grootanvvert ordinis sancti Bernardi (in qua à recta disciplina lõgiùs esset discessum, quæque octo ducatorum millibus annuis censerentur) ita diuiderentur, vti tria millia Episcopo, cœtera Monachis factis canonicis tribuerentur. Middelburgi probari vti Abbatia eius vrbis ordinis Præmonstratensis in ecclesiam Cathedralem ita cõmutetur, vti Abbas Episcopus, Prior Archidiaconus, Monachi fiant canonici. Bona ita diuidãtur, pars media Episcopo, reliquum cedat canonicis. Non futuram hanc Monasteriorum commutationem, vel R. Pontifici, vel iis qui nunc essent, Abbatibus molestam, tum quòd harum Abbatiarum prouisio ad Episcopos Diœcesanos pertine-

pertineret, tum quòd nisi Abbatibus qui nunc essent defunctis, vel iis assentientibus, fieri eam mutationem Rex flagitaret. Atque hæc de Diœcesi Vltratraiectina, de qua hoc item delecti Cardinales monuerunt, vti nouo Archiepiscopatui Vltratraiectino vniretur Prępositura maioris ecclesiæ Archidiaconatus S. Saluatoris, emolumēta Bornensis Episcopatus in maiori ecclesia, qui iure & consuetudine est abolitus, & regiuncula in qua Archidiaconus exercet iurisdictionem Episcopalem. Addebant, Brabantiam, Flandriam, Hannoniam, Artesiam, Namurcum latissimè patere, earumque prouinciarum homines idiomate, legibus, priuilegiisque ita dissentire, vti earum nōnullarum homines in ius extra suam prouinciam vocari non possint: Probari itaque, vti hæ prouinciæ in binos Archiepiscopatus, Mechliniensem & Cameracensem: Hi rursus in plures Episcopatus ita diuidantur, vt quæ sunt Gallici idiomatis regiones Cameracēsi, reliquæ Mechliniensi cedant. Cameracensi Episcopatus Tornacensis, Atrebatensis, S. Audomari & Namurci: Mechliniensi, Antuerpiēsis & Buscoducensis in Brabantia; Gandauensis, Brugensis, Iprensis in Flandria, & Ruræmondanus in superiore regione Geldriæ. Bona Episcopatus Morinēsis ita diuidātur, vti quę sunt in Artesia, accipiat Episcopus Audomarensis, quę in Flandria Iprensis, quę in Frācia, nouus item Episcopus Bononiēsis. Ad vniuersorum nouorū Episcopotū dotem cōstituendam, placere vti antiquis Episcopatibus de fundis, decimis, annuisq. reditibus nihil detrahatur,

tur, nō esse parem Abbatum rationem, à quibus acceptas decimas tradi nouis Episcopis sine iniuria delecti Cardinales profiterentur: æquissimam enim eam legem existere, vti si decimas ab Episcopis, ecclesiarumque rectoribus transferri ad Monasteria Romani Pontifices olim permiserunt, nunc grauissimis ecclesiæ necessitatibus redire quodam veluti iure postliminij, ad veteres eas dominos patiantur. Probari itaque vt Iprensis ex bonis Morinensibus & decimis Abbatum Flandriæ annua ducatorum tria millia accipiat, Ecclesia S.Martini ordinis regularium Ipris, fructusque præbēdarum Morinensium quæ in Flādria existerent, collegio canonicorum ita tribuerentur, vti Monasterij Præpositus Archidiaconus, Monachi fiant Canonici. Episcopatui Brugensi vniatur Præpositura S.Donatiani, & ex decimis vicinorum monasteriorum quantum ad tria ducatorum millia annua sufficiat. Episcopatui Gandauensi tribuatur quicquid tribus millibus ducatorum annuis amplius est in bonis Præposituræ S.Bauonis. Antuerpiēsi vniatur Archidiaconatus Antuerpiensis, & ex decimis vicinorum monasteriorum tria millia ducatorū. Buscoducēsi Archidiaconatus Cempiniēsis, & ex decimis tria millia ducatorum; collegio canonicorū Buscoducensium monasterium Baseldoncanum; Ruræmondano bona monasterij ordinis regularium eius oppidi, & ex decimis Abbatum Insulæ D.Mariæ, & Euerbodiensis, quātum ad tria millia sufficiat; Archiepiscopatui Mechliniensi vniatur Præpositura sancti Rumoldi, & in dotem ex deci-

decimis monasteriorum annua quinque millia ducatorum. Huic Archiepiscopo Mechliniẽsi ea dignitas tribuatur, vti cęterorum Archiepiscoporum primus existat. Quod Rex postularet vti Mechliniensis legatus natus diceretur, rem eam Cardinales Pontifici cogitandam relinquere. Quod Sonnius flagitaret, vti ius patronatus in eos Archiepiscopatus atq; Episcopatus Regi tribueretur, rem eam sui iudicij nõ existere. De nouem præbendis quod proponeretur, vti ab Episcopo noui canonici veteribus defunctis in collegium legerẽtur, ecclesias Parochiales non nisi Episcopi cõferrent, iuri patronatus earum ecclesiarum Papa atque Rex renunciarent, nulli nisi idonei qui per se rem gererent ea beneficia haberẽt, ea singula Cardinalibus multis de causis plurimũ probari, vti illa quoq. quæ de Episcoporũ & Canonicorũ ab ecclesiis absentia non permittenda Pontificem Rex rogâsset. Quod de damno veterum Episcoporum sarciendo diceretur, ea de re sic arbitrari, vt, quòd fundis, decimis, redditibusq́. damnũ esset illatum, id sarciri debere arbitrarentur, quod iurisdictioni, nõ item. Postremò quod quæ constitueretur, ea præstari in præsens dos nõdum posset, polliceri Regem, quoad dos pręfinita pręstaretur, singulis Episcopis in annos singulos mille quingentos ducatos. Quæ cùm à delectis Cardinalibus ad Pontificem in hâc sunt sentẽtiam relata, inde frequente Cardinalium senatu diu deliberata, tum mense Maio anno M. D. LIX. ita sunt à Pontifice definita, vti bonorum diuisionem nunciis in Belgium profecturis

manda-

aut Cōcilio prouinciali indicabunt, vt ipsi cōtra tales calumniatores procedi curent.

Item dicti Inquisitores & Commissarij poterūt vocare coram se quoscunque subditos Cæsareæ Maiestatis, cuiuscunq; auctoritatis, qualitatis, aut conditionis fuerint, aut quacunque potestate vel authoritate vtantur, etiamsi sint Præsides, Consiliarij prouinciæ, aut alij officiales suæ Maiestatis, siue Burgemagistri, Scabini, aut de Magistratu loci, ad præstandum solemne iuramentum de dicenda veritate super interrogandis, & deponendum ea quæ verè sciunt, & similiter si sciant aliquos hæresi infectos, aut de eà vehementer suspectos: Et si aliquos offendant, qui testimonio reddendo se difficiles reddant, aut deponere omnino recusent, illos admonebunt; quòd si eorum monitis non obedierint, notabuntur tanquam fautores hæreticorum, procedētq; contra illos tanquā fautores, in forma iuris: aut poterunt illis mandare sub certis pœnis pecuniarijs pro eorum arbitrio moderandis, vt deponant; & nisi obedierint, vult sua Maiestas huiusmodi pœnas irremissibiliter exigi.

Et si aliqui pertinaciter non formidantes pœnam pecuniariam in sua recusatione persistant, nolentes coram Inquisitoribus deponere, si Laici fuerint, vt fautores hæreticorum punientur, pœna in edictis Cæsaris contenta: Si verò Ecclesiastici fuerint, procedent contra eos dicti Inquisitores prout ipsis iustum & æquum videbitur.

Vult etiam Cæsarea Maiestas & mandat omnibus & singulis Præsidibus, Consiliarijs, Iudicibus, Ballinis, Maioribus, Sculteti, ac generaliter omnibus suis officialibus, & suorum Vassallorum, ac etiā

*ipsis Vassallis, Legislatoribus omnibusq́ magistratibus & subditis suis, vt in tam sancta & pia inquisitione præfatis Inquisitoribus, notarijs, & alijs suis officiatis & familiaribus assistant, omnemq́ fauorem & auxilium præstent, quoties requisiti fuerint, omnemq́ diligentiam adhibeant, ne dicti Inquisitores, notarius, & alij sui officiati & familiares aliqua iniuria reali aut verbali afficiantur: & si aliquos illos iniuriantes inuenerint, illos apprehendant, & seuerè puniant in exemplum aliorum: Sub pœna indicta contra fautores hæreticorum, quam incurrẽt, si notabiliter negligẽtes in hoc deprehendantur.*

*Si dictis Cõmissarijs seu Inquisitoribus, seu alteri eorũ per informationem sufficienter cõstiterit, & plenè probatũ fuerit per duos testes, aut aliâs legittimè, aliquẽ esse hæreticũ, aut contrauenisse cõstitutionibus, ordinationibus seu edictis per Cæsarẽ ad extirpãdas hæreses promulgatis, eo casu ipsi Inquisitores seu alter eorum reos apprehendi iubebit, ac sub fida custodia detineri vel per Iudicem loci, aut per alios eorum arbitrio assumẽdos, quibus sua Maiestas vult per Iudices loci tam suos quàm suorũ Vassallorum omnem dari assistentiam: Et si in hoc negligentes aut difficiles se reddant, punientur pœna contra fautores hæreticorum indicta.*

*Ad hunc effectum Cæsarea Maiestas præfatis Inquisitoribus tradet literas patentes, quarum vigore dicti Iudices præmissa omnia facere & adimplere tenebuntur. Ac mandabit consilijs suis supremis & prouincialibus, vt exemplariter puniant omnes & singulos, qui in præmissis culpabiles & negligentes inuenientur: sicq́ prouideant vt sua Maiestas intelligat*

gat

*gat negocium hoc inquisitionis per eos non impediri, sed promoueri; alioquin & in illos animaduerti iubebit.*

*Postquàm autem rei apprehensi fuerint, si Ecclesiastici sint, illos ducent sub fida custodia ad carceres concilij prouincialis vel ordinarij ac Diœcesani loci, prout commodiùs eis visum fuerit. In quo loco dicti Inquisitores contra huiusmodi reos procedent, iuxta tenorem eorum commissionis summatim & de plano, sine figura & strepitu iudicij, & processu instructo assument secum aliquem vel aliquos de Consilio Cæsaris, per eos eligendos ad diffiniendum processum, & condemnandum aut absoluēdum reum: qui sic electi, tenebuntur ad requisitionem Inquisitoris processum visitare, & opinari ad cōdemnationem vel absolutionem Rei.*

*Quemadmodum etiam concilium ipsum prouinciale super huiusmodi processu deliberare & sententiam dicere tenebitur, si ad hoc ab Inquisitore rogetur & requiratur.*

*Si verò aliqui in præmissis se præbeant difficiles, aut onus subire recusent, rescribent Inquisitores Reginæ, seu concilio priuato, qui taliter prouidebunt, quod negocium Inquisitionis per huiusmodi subterfugia nō protelet ur aut differatur.*

*Quando præfati Inquisitores, seu alter eorum, cum consilio alicuius per eum ex concilio prouinciali, aut alio concilio assumendi, declarauerint aliquem esse degradandum, & curiæ seculari tradendum, degradatione iuxta tenorem apostolicæ commissionis facta, concilium prouinciale, vel eodem præadmonito iudex loci tenebitur statim & absq; alia dilatione,*

 huius-

*huiusmodi sententiam executioni demandare, prout de iure.*

*Si verò dicti Inquisitores seu aliquis eorũ per suas informationes inuenerit aliquos Laicos contrauenisse ordinationibus Cæsareæ Maiestatis, illas communicabit alicui ex consilio Cæsaris in singulis prouincijs per illum ad hoc assumendo, ex cuius relatione Cõcilium prouinciale iubebit huiusmodi Laicos apprehẽdi, & iuxta formam edictorum puniri. Ac vt id citra aliquod irregularitatis periculum facere liberiùs queãt, sedis apostolicæ permissio desuper expectabitur: Interim verò vbi opus videbitur, loci Inquisitores ad informationes huiusmodi processuri, cõcilium prouinciale pro aliquo sibi adiũgendo interpellare poterunt: cuius quidem adiuncti id erit officium, diligenter animaduertere, an quid contra Cæsareæ Maiestatis edicta ac ordinationes commissum cõperiatur, vt si quid tale apparuerit Iudici loci, seu concilio prouinciali, ac procuratori generali, eas informationes communicet, qui iuxta ipsorum edictorum tenorem contra transgressores debitè procedere tenebuntur.*

*Vbi autem ex Informationibus Inquisitoris communicatis (vt dictum est) constiterit aliquos laicos suspectos de hæresi, & apertè non probetur illos edictis Cæsareæ Maiestatis contrauenisse: tunc Inquisitor contra eos procedet iuxta formam iuris, vsq; ad sentẽtiam definitiuã. In qua ferenda vtetur cõsilio alicuius Consiliarij Cæsareæ Maiestatis, vel alterius periti & experti viri, per conciliũ prouinciale ad hoc deputãdi.*

*Similiter vbi Iudices seculares per processum corã eis factũ contra accusatos de cõtrauẽtione edictorũ Cæsareæ Maiestatis inuenerint accusatos nõ sufficiẽter*

*ter*

*ter cōuictos ad ſubeundam pœnā in edictis contētam, aliàs tamen ſuſpectos, aut de hæreſi vehementer diffamatos, vel aliqua pœna a iure communi ſtatuta puniendos, tunc proceſſum communicabunt Inquiſitori, vt conſideret ſi cōtra illos erit vlterius procedendum, & eo caſu abſoluendo ab inſtantia iudicij Iudicis ſecularis, remittent ad Inquiſitorem.*

*Vetat etiam Cæſarea Maieſtas ac inhibet omnibus concilijs prouincialibus, ſub pœna ſuæ indignationis, ne ſuis mandatis & literis, proceſſus aut informationes Inquiſitorum aut Inquiſitoris, aliquo modo impediant. Sed ſi qua difficultas inter Concilium prouinciale & Inquiſitores ſeu Inquiſitorem oriatur, Reginæ reſcribant, quæ pro qualitate negocij prouidebit.*

*Similiter non vult ſua Maieſtas, vt Inquiſitores aliquo modo impediantur in exercitio commiſſionum ſuarum per ordinarios loci, ſeu eorum officiales, contra quos niſi eis obediant, per Cenſuras eccleſiaſticas iuxta tenorem literarum apoſtolicarum procedere poterunt, & ſi neceſſe fuerit, reſcribent Reginæ, quæ illis omnem præſtabit fauorem & auxilium, ne negocium tam pium ſub hoc prætextu differatur, viciſſim etiam Inquiſitores non debent aliquo modo impedire ordinarios, ſeu eorum officiales in proceſſibus per eos incheatis, aut inchoandis.*

*Si Inquiſitores vnius prouinciæ ſeu alter eorum per ſuas informationes inuenerit aliquos deferri hæreticos alterius prouinciæ, ſtatim hoc ſignificabit Inquiſitoribus ſeu Inquiſitori prouinciæ, in qua habitat taliter delatus, & tranſmittet copiam huiuſmodi informationis manu notarij ſignatam, vt dictus Inquiſitor cōtra delatum procedat modo & forma præſcriptis.*

*Item præfati Inquisitores & Commissarij in visitatione prouinciæ diligenter inquirent de Curatis, si boni, sinceri & Catholici fuerint, & si inueniant aliquos mercenarios seu vice curatos, qui aliquando religiosi fuerint, & abiecto habitu curas administrent, illos amoueri, & alios in eorum loco surrogari curabũt, etiamsi super his dispensationem aut licentiam à Iudice ecclesiastico obtinuerint.*

*Si verò inueniant aliquos curatos cõcubinarios notorios, aut scandalosè viuentes, aut planè indoctos & inidoneos, illos deferẽt Episcopo, & suis officialibus, illos admonẽdo suis literis, vt curis de idoneis, doctis & probis Curatis prouideãt, reseruata nihilominus cuiquesua collatione & præsentatione, destituendo notorios concubinarios, aut scandalosè viuentes, seu alios planè inidoneos. Et nisi Episcopi & sui officiales eorum monitis obediant, Reginæ significabunt.*

*Similiter dicti Commissarij & Inquisitores diligenter inquirent de ludi magistris, deq; illorum fama & conuersatione, & quæ prælegant Iuuenibus, & si aliquid in illis corrigendum inuenerint, illud corrigi per illos qui auctoritatem substituendi habent, curabunt, ac etiam destitui, & alios in eorum loco surrogari, si necesse & expediens fuerit. Et si fortè aliqui in hoc se difficiles reddiderint, Reginæ etiam significabunt.*

*Præfati Inquisitores etiam inquirent de libris qui venduntur per Bibliopolas, aut imprimuntur in locis prouinciæ eis destinatæ, si aliquos habeant libros damnatos aut suspectos. Et similiter de vita, conuersatione & fama impressorum & bibliopolarum. Et si quid in his corrigendum inuenerint, con-*

*silio*

*filio magistratus loci, aut concilij prouincialis corrigent. Et si aliquod illis fiat obstaculum, Reginam certiorem reddent.*

*In hoc pręcipuè laborabūt dicti Inquisitores, ne hoc negocium tam pium quod est difficile reddant impossibile: neque nimis emungant, sed primò remedium adhibeant in his, quę sine periculo religionis & incommodo Reip. tolerare non possunt, tantamq; adhibeāt diligentiam, vt omnibus persuadeant se non quę sua sunt, sed quę Christi sunt quęrere, hoc solum conantes, vt hę ditiones Inferioris Germanię ab omni errore purgentur, immunesq; ab hęresibus conseruentur.*

*Vt autem negocium hoc Inquisitionis meliùs procedat, vult sua Maiestas Cęsarea, vt dictis Inquisitoribus & suis officialibus de competenti salario suis expensis prouideatur.*

*Quantùm verò attinet ad expensas apprehensionis & captiuorum, illę soluentur per Iudices loci qui Reos apprehendent, quę illis restituentur in rationibus suis, quas singulis annis reddere tenentur, & in hoc per literas rationalium illis prouidebitur. Sic signatum: Charles. Et subscriptum: Sic ordinatum per suam Maiestatem Bruxellę, vltima die Maij, 1550. & signatum: Verreyken.*

*Hinc est quòd nos parentis nostri obseruantissimi vestigijs insistere, & Catholicam Religionem ab eodem tanta solicitudine in his prouincijs conseruatam in suo vigore conseruare cupientes, omnia & singula in suprascripta instructione contenta, ratificauimus, approbauimus, & confirmauimus, prout tenore pręsentium ratificamus, approbamus & confirmamus, & in quantum opus est de nouo ordinamus & statuimus,*

*requirentes omnes & singulos Inquisitores, eorumq; subdelegatos, vt omnia in dicta instructione præscripta diligenter obseruent, debitéque executioni tradant: Mandantes itidem cūctis tam magistratibus quàm priuatis, subditisq; nostris vniuersis, vt præfatis Inquisitoribus circa ea quæ in dicta instructione continentur, omnem præstent assistentiam, mandatisq; ac ordinationibus huiusmodi, quantum ipsos concernit, diligenter pareant, quatenus gratiam nostram charam habeant, indignationemq; nostram ac pœnam arbitrariæ correctionis euitare maluerint, harum nostrarum testimonio literarum, manu nostra subscriptarum, & sigilli nostri appensione munitarum. Datum in oppido nostro Bruxellensi, die vigesima octaua mensis Nouembris, Anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto, Regnorum nostrorum anno secundo.*

Hoc itaq. erat alterum quod dicebamus publicum Reip. negocium, quod Cardinali eius instituti patrono inuidiosum existeret, quæ vtiq. oportunè ambitiosis hominibus, in quæ culpas referrent, argumenta sunt oblata Lubrica est enim omnis in Rep. plurium par auctoritas, neq. teneri æqualium ambitiosa studia sine maioris imperij metu in officio diu possunt, quod cùm palàm præ se ferre sit indecorum, tum necessariò ad ea consilia est veniendum, vti iure, vel bono publico, vel qua alia de causa commotos discedere à vetere se cōcordia profiteātur. Eam itaque quam ostendimus auctoritatem Cardinalis tenebat: vnus secretioribus notis, Cifras appellamus, de rebus summis cum Rege atq. Regiis per

Gallias,

Gallias, Germaniã, Angliamque legatis deliberabat. Vnus Viglium ſigilli Regij cuſtodẽ, Berlaymontiumq. multis ſibi rationibus deuinctos tenebat. Regnardus vetere odio ferre eam Cardinalis amplitudinẽ non poterat: ſæpenumerò itaque accidebat, vti & ſentẽtiis in Senatu à Cardinale diſſideret, & cũ cęteris Senatoribus eos ſermones iniret, quos ſibi Cardinalis probroſos, Reip. ita periculoſos Rex iudicaret, vti poſt euocatũ in Hiſpanias Regnardũ, redire retro in Belgium nõ pateretur. Reliquerat Rex in Belgio ad belli negocia, cõſiliaq. Lazarum Zvvendiũ Germanũ, qui in Cæſaris atq. Regis exercitu honeſtiſſimos Germanicæ militiæ ordines diu duxerat: huic cũ Orangio atq. Egmõdano, cæteriſque eius ordinis ea erat familiaritas, vti cùm per eorũ amicitiam infinita ſibi polliceretur, per vnũ ſtare Cardinalem exiſtimaret, cur nõ etiam in Senatũ Cõcilij Status adlegeretur, maioremq. quam haberet honorũ atq. opum dignitatem adipiſceretur: ſimultates iis tẽporibus Orãgio cum Egmõdano non leues intercedebant: reprehendit vtrumque Zvvendius, non illos videre, quàm ea res Cardinali perutilis exiſtat, qui ad cæterorum contumeliã vnus in Rep. omnia auderet, poſſet omnia: facilè vtrique concordiã perſuadet: erat enim illius viri cũ magna apud vtrosque gratia, tum ſumma apud Orãgium auctoritas, multũq. eius conſilio Orangius vtebatur: & quidem Egmõdanus homo militaris, qui omnẽ in laude atque gloria cogitationem collocabat, facilè eò eſt perductus, vti quã alienam dignitatem ſuæ exiſtima-

*Regnardi & Cardinalis ſimultates.*

*Lazarus Zvvendius.*

*Orangij & Egmõdani in Cardinalem odia.*

ſtimationi indecorá arbitraretur,eam ingenuè o-
diſſe ſeſe palàm profiteretur:cõtrà,Orangius cõ-
ceptam animo indignationẽ ita diutiſſimè cela-
ret,vti niſi rebus ex animi ſentẽtia cõſtitutis eam
*Orangij ingenium.* in publicũ non proferret: iampridem enim Orã-
gius eos animos cõceperat, vti ferre iam nõ Car-
dinalis,ſed nullius. ne Regis quidem imperium
poſſet. Quod equidẽ illius ego potius ſermoni-
bus ex illo quem oſtẽdimus eius libro,quã meis
rationibus probauero.Sunt enim hęc illius:Orã-
gij Principatum nullis alieni imperij legibus ob-
noxiũ,eam ſibi quę eſſet Galliarum,cęterorumq́.
ſupremorum Regum liberrimam imperandi po-
teſtatem tribuere, gentem Naſſouiam Auguſto-
rum Cęſarum dignitatem tenuiſſe : Si Naſſouij
in Belgio nulli extitiſſent, imperium in Belgio
nõ fuiſſe Auſtrios habituros:Engelberto patruo
ſuo magno victoriam Guinegaſti,ditiones Trãſ-
moſanas, Flandrorum coërctionem Maximilia-
num Cæſarem:Henrico patruo,imperij Germa-
nici dignitatem ; Renato Chalonio , Geldriam
reſtitutam, Cæſarem Carolum : ſibi pacem Ca-
meraceſiam Regem debere : eas eſſe ſuæ gentis
opes,vti alienis beneficiis non egeret:quindecies
centena florenorum millia expenſa, ſe Cæſari at-
que Regi ferre tam non ſibi eam pecuniam re-
ſtitutam,vti contrà,multa ſuos gentiles,atque ſe
à Belgij Principibus pati damna fuerit neceſſe:
Suſpectam ſibi Cæſaris atque Regis voluntatem
diu extitiſſe, ferre ſe eas imperij leges nõ potuiſ-
ſe,quas non tam iudicio,quàm pro libidine Rex
meditaretur ; ſeorſum multa ſe ſibi conſilia ce-

piſſe,

pisse, quibus Regi ægrè faceret: cùm Equites in ordinem aurati velleris Gandaui Rex adlegeret, collegarum sententiis quos Rex nollet in eum ordinem Equites cooptandos curâsse: dum obses in Galliis venatione in speciem sese oblectaret, inuisa Regi cõsilia suscepisse: Nouarum Religionum hominibus semper sese studuisse: admonitum à Rege discedente, vti in certorum hominum suspectam Religionem animaduerteret, delatis rem denunciâsse: cæteráque in eam sententiam tam sunt eo libro multa, vti grauiore testimonio ambitiosus atque impatiens imperij animus probari in Orangio difficulter queat. Et quidem de gente Nassouia ita res erat. Primus Engelbertus matrimonio Ioannę Polaniæ, Leccam, Bredam & Grimbergam acceperat: huius filius Ioannes matrimonio Marię Diestię maternis bonis Diestam, Heinsbergam & Vicecomitatum Antuerpię adiecerat: Ioãni filij erant duo, Engelbertus & Ioannes. Engelberto mortuo sine liberis succedit Ioannes: is ex vxore Elizabetha Lãtgrauia suscipit Henricum & Guilielmũ: Henricus natu maior, iure quo vtimur in bona Belgica succedit, & Claudiam Chaloniam Philiberti Chalonij Principis Orãgij sororem vxorem ducit: ex ea suscipit Renatum qui Philiberto auunculo sine liberis extincto ea lege succedit, vti pro Nassouio Chalonius nuncuparetur. Guilielmus Henrici frater in Germania ex vxore Solmensi multas suscipit proles: in his maiorem natu hunc nostrum Guilielmum Renatus in obsidione Sancti Desiderij ad annum M. D. XLIIII.

*Gentis Nassouiæ in Belgiũ aduentus atque opes.*

globo

globo traiectus sine liberis moritur. De Renati bonis paternis quin ad proximos agnatos ea hæreditas pertineret nulla erat cõtrouersia, de maternis ambigebatur: Cæsar Nassouiis studebat: eius itaque auctoritate hunc nostrum Guilielmũ hæredem testamẽto Renatus scribit. Guilielmus Henrici frater ad Lutheranos discesserat: abducit itaque à patre impuberem hæredem Cæsar, sororiq. Reginæ in id tempus relinquit, quo ætate maiore in cubiculi ministeria à Cæsare est ascitus: versatur eo munere summa Cæsaris gratia annos nouem Guilielmus, inde vniuerso grauis armaturæ equitatui præfectus, annos natus xxi. supremus eius exercitus dux cõstituitur, quẽ instructum sub pellibus tandiu Cæsar habebat, quoad nouę arces Philippeuilla & Carolomontium construerentur. Hinc Cæsare Belgio sese abdicante, magna (vti credebatur) sua laude vtrumque consequitur, vt & inspectante tanta amplissimorum hominum corona huius potissimum humeris Cæsar inniteretur, & ad fratrem Ferdinandum per hunc Imperij coronam transmitteret. Cæsarem nonnulli monuerant, vti istos Guilielmi ad animi moderationem compositos mores nõ tam virtuti quàm calliditati tribueret, sciretq. eam se vulpem educare, quę gallinas esset suas comestura: contempserat rem eam Cæsar, quòd dici eiuscemodi in gratiosos homines solerent, discedensq. accuratè Regi filio Orangium cõmendârat. Accesserat, vti quam Cæsaris in se studio cõmendationem esset Orãgius cõsecutus, multis eam per se rationibus auctiorem ornatioremq.

remq.in vulgus efficeret: Rem domesticā ditissimorum Principū exemplo splēdidè haberet: Peregrinos Legatos,nobilitatemq. comiter liberaliterq.exciperet: De rebus publicis accōmodatè ad domināntium volūtatem palàm semper loqueretur: De rebus quæ proponerentur,prudēter in Senatu sentētiam diceret: Quibus rationibus id fuerat adeptus,vti hunc sibi generū moriens Maximilianus ab Egmonda Comes Buræ (cui vnica hęres filia supererat) potissimùm diligeret,in hūc cæteræ nobilitatis populiq.sese studia conuerterēt. Oportunè itaq. Orāgio ita animato acciderat,vti Cardinalis dominatum pertinere ad suam cōtumeliam Egmōdanus existimaret: plurimùm enim in omnem partem momenti in Egmōdano existebat,de quo (vt maximè id esset plurimorū iudicium) vt meliorem eum militem quàm Senatorem profiterentur,ingenti nihilominus hominum studio gratiaq. colebatur. Multæ enim atque eæ permagnæ illius viri laudes existebant, nobilissimarum duarum victoriarum triumphi Laurentianæ & Grauelinganæ huic vni constāte hominum iudicio delati: Procurādis Anglicanis atque Gallicis Regis nuptiis in vtraque ea regna legatus: Affinium, maiorumq. summa nobilitas: digna imperio forma: Familiæ atque impensarum ingens splendor: Regis postremò ingenua atq.ea magna gratia: Moribus ita Orangio dissimilis,vti verax,iracundus, omniū minimè suspicax,Religionis catholicæ atq. Regis perquā studiosus Egmōdanus existeret: fictus cōtrà atq. ad omnium penè hominum volūtates compositus

*Egmōdani ingenium.*

Orangius,

Orangius, neque facilè irasceretur, atque eo esset infido & meticuloso animo, vti tutam rem nullā facilè arbitraretur, Religionem atq. Regē ita coleret, vti nec dissidētes à Religione catholica sermones atque mores abominaretur, neque dum sibi augustiorem imperandi potestatem efficeret, de Regis amplitudine multū laboraret. Quibus rebus fiebat, vti si quando queri apud se de Cardinalis dominatu Egmondanum contingeret, tum eo genere sermonis Orangius vteretur, vti inuitum abduci sese Reip. causā in eas contētiones affirmaret, dareq́. se rem eam Egmondani amicitiæ ostenderet: clàm cōtrà id ageret vti per quos posset homines in Cardinalis odium grauiore indies ira Egmondanum concitaret, idq́ue eò faciliùs, quòd neq. deterreri ab instituto Cardinalis posset, totamq́ue eam suorum hostium multitudinem præ vna Regis gratia palàm contemneret. Vt itaq. vnde discessit reuertatur narratio, ita dissidentibus animis, duo illa quæ dicebamus, nouorum Episcoporum atque Inquisitionis consilia proponuntur. De nouorum Episcoporum instituto ad Senatum rarissimè Parmensis referebat: siue quòd de re semel à Rege cōstituta deliberari iam nō oporteret: siue quòd sacrorum curam eorū relinqui iudicio oporteret, quibus eam Pontifex demandâsset. Brabantini iis temporibus ob procurationem vectigalis nouennalis frequentes suorum ordinum conuētus Bruxellę habebant, multæ isthic indies de nouis Episcopis Abbatum querimoniæ: Maiorum instituta, sacros canones valere debuisse, eos

*De nouis Episcopis querelę.*

Mona-

Monachis præfectos dari non debere, qui Monachorum disciplinam nullam tenerent: contra omnem vetustatis memoriam confundi vniuersa, violari contra ius gentium supremas testatorum voluntates, Abbatum industria in eam quæ cerneretur amplitudinem ædes sacras peruenisse, rem eam ita Abbates curâsse, vt neque liberalitate hospitibus, neq. pietate pauperibus deessent: pro Abbatibus habituros sese Episcopos, quibus monasteriorum non nisi opes curæ sint futuræ, operas ita partiantur, vt molestiam atque curam Priori, res cæteras sibi sint habituri: adhiberi nūc in speciem Theologos, propediem Palatinis ea munera prædæ futura: iniuriam fieri Brabantinorum priuilegiis, minui Abbatum auctoritatē, ordinumque mutari veterem morem non debuisse. Placent eæ querimoniæ nobilitati, vrbibusque: Addunt Cardinalem, qua eſt ambitione, supremum sibi munus Archiepiscopatū Mechliniensem arrogâsse: ea dignitate id imperium sibi suique ordinis hominibus spectâsse, quod per Hispanias atque Italiam clerus obtineret: Abbatias eo studio Episcopatibus vniri, vti ordinū Comitiis Episcopi præessent: Episcopos ea iurisiurandi religione Romanis Pōtificibus obstringi, quam ferre Regum imperium nō oporteret: imperitè eos homines à Regibus ad Remp. adhiberi, qui nullam nisi Romani Pontificis auctoritatem sequerentur: Subditis hoc vnum superesse libertatis testimonium, quod ordinum Comitiis conferre in commune consilia permitteretur, magnam eam esse prærogatiuam, quam tenere

nere Episcopis præsentibus non liceat. Adjiciebatur postremò hoc nouorum Episcoporum institutum eo consilio esse susceptum, vti iis quæsitoribus Hispaniarum exemplo de singulorum Religione cognosceretur: ferre ingenuos homines eam seruitutẽ non debere: contrà, Cardinalis iniuriã non sibi, sed Põtifici, Cęsari, atq. Regi eos homines facere, qui hoc ab illis iampridem susceptũ Religionis restituendæ consilium reprehenderent. Recordari Marchionem cùm secum hac de re Cęsar loqueretur, multaq. de Georgio Austriaco Episcopo Leodiẽsi causaretur, in eam se Marchionem sententiã Regi in Anglia respõdisse: Rogare se fratrem Austriaco coadiutorem daret: Id si Rex faceret, curaturũ se vti bona fratris gratia, de nouis Episcopis quę vellet Rex cõstitueret: nũquam Cęsarem, nec nisi discedentem hac de re secũ Regem egisse: vtriusque eam fuisse opinionem, vti veteris sedis Atrebatensis Episcopum recusaturũ nouos Episcopos arbitrarẽtur: imputari itaq. sibi rem eam non debere, quæ neq. culpam contineret, & sese inconsulto ab iis fuisset procurata, quorũ auctoritati cedere sit necesse. Magnis itaq. altercationibus res excipitur, peregrini nõnulli Episcopi initio apud Parmensem querimoniã, pòst Romæ apud Põtificem actionem instituunt. Brabantini multa proponũt, cur vniri Abbatias per Brabantina priuilegia nõ liceret: Mechlinię nihilominus, Busciducis, Brugis, Ipris, Middelburgi, Harlemi ij quos diceba-mus Episcopi constituuntur: ferre id indignè complures. Legatos itaque in Hispanias mense

Febr.

Februar. anno millesimo quingentesimo sexagesimo secundo ad Regem Brabantini transmittunt, hos sequuntur Mense Maio vrbis Antuerpiæ delegati, inde à Parmensi mense Augusto Montigneus, qui de ærarij Belgici rationibus, de Galliarum motibus, subsidiisque à Rege & Regina matre è Belgio postulatis, de isto postremo nouorum Episcoporum instituto ad Regem referret. Omniũ earum legationum is fuit exitus: Episcopum Antuerpia nondum haberet: per vnita Episcopatibus Brabantinorum monasteria de more Abbates legerentur. composita itaque in præsens ea controuersia nihilo æquiores hominum animos faciebat. Afligemij & Tõgerloij viri boni Abbates leguntur; ad Sanctum Bernardum eiuscemodi qui tum Catholicus, paulò pòst Lutheranus, inde Caluinista ducta vxore minister existeret. Omnibus iis Monachorum lectionibus accedit quę consuẽsset Regis auctoritas: lecti (quod iure transmontanis permittitur) Monasterium, procurant, ordinum Brabantinorum Comitia frequentant. Quod erat postremum vti ea Monachorum electio à Pontifice confirmaretur, id impetrari Romæ non poterat. Acciderat illud item Brabantinis perquam molestum, quod Academiam (quæ vna toto Belgio Louanij primaria Brabantiæ ciuitate celeberrima existebat) noua Duacenate Academia imminuere Cardinalis atque Viglius cogitarent. Anno Millesimo quingentesimo trigesimo Duacenates quòd rem eam Cæsari honestam, Belgio necessariam,

*Noua Academia Duacē.*

ſibi vtilem futuram affirmarent, diu multumque à Cęſare cõtenderant, vti nouam omnium diſciplinarum Academiam in ea vrbe collocaret, quæ Gallicè loqueretur, vrbis laxitate, ciuiumque ingeniis peropportuna exiſteret. Reſtiterant hiſce poſtulatis Louanienſes, quorum ſumma iis temporibus penes Cæſarem gratia, apud omnes erat auctoritas, neq. obtinere quod poſtulârant Duacenates tum equidem potuerũt: pòſt cùm ſe imperio Cæſar abdicauit, multaque ſunt à Rege de conſeruanda Religione ſuſcepta conſilia, tum Duacenatibus ignaris ea Regi ratio eſt probata, vti ea vrbe Academiam aperiret, qua adoleſcentes à Galliarum Academiis, à Geneuenſi profectione domi retineret. Auctoritate itaque à Paulo Quarto Pontifice impetrata, Rege profecto Hiëronymo à Francia vrbis Duacenæ Penſionario rem eam Viglius exponit, reſcriptum Pontificium, Regis auctoritatem oſtendit. Reſpondet officioſè Hiëronymus, ad Magiſtratum rem refert, magno totius vrbis conſenſu res flagitatur, auget hominum ſtudia Richardotus, ad cuius Epiſcopatum ea vrbs pertinebat: frequentes Duacenſium legati, & in his Hiëronymus, Bruxellam proficiſcuntur: re cum Cardinale, Viglio atque Nigri ſæpius deliberata, de profeſſorum ſtipendiis, Academiæ immunitate, cæteriſque ad rem eam pertinentibus conſtituunt: ferre id ęgrè Brabantini, omnium ægerrimè Orangius, quòd & ſeſe inconſulto res tanta ſuſciperetur, & hoc nouum Papatus ſeminarium conſtitui vrbe limitanea non oportere arbitraretur. Louanienſes

quod

quod facere se oportebat, apud Ordines ita rem instituunt, vt quibus videretur commodissimis rationibus, ornatiorem cultioremque efficere suam Academiam conaretur: professores Theologiæ, Iuris, Medicinæ, Matheseos, Historiarum, linguarum, Græcæ, Latinæ, Gallicæ nouos constituerent: stipendia cæteris augerent, scholas magnis impensis exornarent: succedit nihilominus Duacenatibus negocium, Academiam iisdem cum Louanio legibus atque institutis ad annum M. D. LXII. aperiunt, magna cum cæterorum hominum, tum duorum cumprimis Abbatum Benedictinorum insigni pietate Ioannis Létailleur Aquicinctẽsis, & Arnoldi de le Cambe Gantoisij Marchianensis, qui magnis impensis, graui rerum priuatarum incommodo, bina è fundamentis amplissima collegia instituerent. Ad has animorum offensiones accedebat illa quam ostendimus, Inquisitio. In Anglia, regni Comitiis (Parlamenta appellant) Regina Elizabetha veteri Religioni eam substituerat, quæ doctrina vt plurimùm Caluino assentiretur, moribus ritibusque eam haberet formam, quæ à Caluini instituto longissimè discederet, & auctoritatem nõ nisi Regni legibus acciperet. Scotiam ad nouarum Religionum studia inclinatam sustinere Regina mater conabatur, socrui subsidia è Galliis gener Rex Franciscus transmiserat, Elizabetha inueterascere per Scotiam Gallorum imperium nolebat, Guisianos (ad quam gentem Regina vidua pertinebat, quorumque penes Reginam summa erat eo regno auctoritas, siue a-

*Hæreticorum querimoniæ.*

*Anglia.*

*Scotia.*

missi Caleti memoria, siue qua alia de causa) infensè oderat. Religionem itaque tota Scotia Elizabetha consilio atque ope profligat, Gallos nisi perpaucos manere in Scotia non permittit. Gallia Rege Francisco sublato in impuberis Caroli noni fratris imperium transierat, Regis atque regni procurationem Regina mater Catharina Medicea regni Comitiis acceperat: Caluinistis seu Hugenottis Ambaxiana coniuratio, quam in Regis Francisci caput, totiusque adeo regni direptionem susceperant, pessimè successerat: Rege nihilominus Francisco mortuo in graues rerum motus seditionesque tota Gallia discesserat, Hugenotti Regis morte magnos sibi animos sumpserant: Regina mater iis consiliis vt plurimùm vtebatur quibus tueri se sibi peregrinæ mulieri imperium posse arbitrabatur. Pernicioso itaque ac iam inde à primis Ecclesiæ temporibus damnato instituto, colloquium cum Hugenottis Possiaci suscipitur: passim tota Gallia vi atque ferro nouus Christus sublimi equo inuectus ingenti sceleratissimorum militum, perditorumque hominum corona circumseptus, tubis, tympanis, tormentis circumfrementibus per optimorum subditorum cædes, vrbium direptiones, agrorum vastitates, noui regni possessionem ingreditur, imperium nouis edictis, quo iure qua iniuria confirmat. Neuburgi in Germania Lutherani Principes Legatos Pij Quarti Pontificis de Concilio Tridentino perhumaniter acturos contumeliosè à se reiece-

*Gallia.*

*Germania.*

reiecerant. Fecerat idem Elizabetha, quæ venire ad ſe in Angliam Legatos Pontificios non permiſerat: exultare ad eam, vti loquebantur, Euangelij lucem noſtri hæretici, fauere ſuis ſtudiis, Deûm profiteri, qui binos infenſos ſibi Galliarum Reges Henricum & Franciſcum è medio ſuſtuliſſet, Regna Angliæ atque Scotiæ Euangelio reſtituiſſet: Cæſarem Carolum emota mente decedere de imperio coëgiſſet, Cardinali Granuellano Papiſtarum per Belgium Principi fortiſſimos hoſtes opponeret, deeſſe itaque ſeſe rebus tantis, tam præclaris non debere: indignum locis cœteris creſcere Euangelium, ſolo Belgio impunè Cardinalem dominari, nouos Epiſcopos ad Euangelij perniciem conſtitui, Academiam Papiſtis Duaci nouam procurari, Ieſuitas nouæ ſuperſtitionis inuiſum hominum genus in Belgium venire, Tridentum ad rem Papiſticam ſtabiliendam conuentum Rege procurante à Pontifice indici. Illud poſtremò quod ferre diutius non oporteret, crudeliſſimis ſuppliciis in fideles animaduerti. Paſſim itaque toto Belgio propenſæ in nouas Religiones multorum ſeſe hominum voluntates oſtendunt, & quidem quod de Ieſuitis dicebatur, id erat eiuſmodi: Regnum Nauarræ Rex Galliarum, in gratiam Albrettij eo regno à Ferdinando Rege Catholico deiecti ad annum, ni fallor, M.D.XXII. cogitabat, Dux Naiaræ qui ſummo imperio Regnum Nauarrę procurabat, re intellecta ad auxilia contrahenda in vlteriorem Hiſpaniam proficiſcitur, *Ieſuitarũ origo & progreſſus*

Ignatium Loïolam Cantabrum, atque vnà aliquot Hiſpanos præſidio dum reuertitur, certæ cui vrbi relinquit, dum abeſt Naiarus, vrbe à ciuibus dedita, atque arce diu oppugnata, in hoſtium poteſtatem graui vulnere ad pedem accepto venit Ignatius vir militaris, qui omnem in fidei conſtantiæque laudibus virtutem collocaret, diuinarum rerum ſtudia non niſi vulgi more ſequeretur. Huic itaq. Ignatio ex vulnere ægrotanti lectione ac ſolitudine ea ſubit cogitatio, qua longiſſimè à ſęculi profanis ſtudiis abduceretur, omnem in rerum humanarum contemptu, diuinarum ſanctarumq. ſtudio ſalutem collocaret: valetudine reſtituta manet eadem volũtas, ſeorſim cum viris religioſis ea ſibi cõſilia capit, quibus indies magis etiam ad pietatem accenderetur: rident hominis importunam pietatem agnati, non mouet ea res Ignatium, Hieroſolymam proficiſcitur, reuerſus iam grandęuus literis in Hiſpaniis Compluti, inde Pariſiis Philoſophiæ operam impẽdit, hinc in Hiſpanias atque Italiam regreſſus, pietatis quæ haberet exercitia ita pluribus probat, vti eorundem ſeſe ſtudiorum ſocij nonnulli oſtenderent. Multis ea ſocietas Epiſcopis nõ placet, tot eſſe Monachorum collegia, tot priuata pietatis inſtituta affirmant, quot ferendis Eccleſia difficulter ſufficeret, faciles & à legitimo vulgariq̃ue hominum vſu non diſcedẽtes clericorum mores eſſe oportere, Ignatium auſterum quid, atque horridum (quod pati hominum vita minus poſſet) præ ſe ferre, quod vt maximè ita ſummi ordinis homines

nes affirmarent,in cęterorum quoque variam reprehensionem res incideret, tamen quòd hoc Deus labenti Ecclesiæ insperatum paruis initiis ab imperito milite nullum ordinem cogitante subsidium meditaretur,factum est vt re consiliis diu agitata,ad annum M. D. XL. eam à Paulo Tertio Pontifice auctoritatem acciperet,vti collegium sexaginta sociorum habere Ignatio permitteretur:inde annis quatuor pòst,cùm late extra Italiam, per Gallias, Germaniam, atque Hispanias sociorum pietas atque studium probaretur, in extremas Asię ditiones vltra Gangem porrectas Insulas, Franciscus Xauierus eius instituti socius Regis Portugalliæ rogatu transiisset, multaque iis vastissimis regnis hominum millia ad Religionem Christianam doctrina, vitæ integritate,miraculisque conuertisset, tum equidem facilè à Pontifice est impetratum,vti certo numero sublato liberrima in collegia cooptádi auctoritas tribueretur, fieretque vti sicuti cæteræ Monachorum sodalitates, sic hoc ad animos rectè informandos, ad Christianæ charitatis officia prudenter administranda,optimis prę clarissimisque legibus, grauissimo testimonio, nouum collegium probaretur. Sociorum itaque lectione Ignatius summæ rei præficitur: Societati, siue,quod fertur,ex euētu,siue ea ratione Nominis Iesu compellatio imponitur, quòd sequi eam rationem religiosę hominum societates cō-sueuerunt, vti vnum aliquod certum Religionis mysterium assumerent, cuius se potissimùm cogitatione ad pietatem informarent, cuiusmodi

ſunt illa noſtris moribus frequentata B. Trinitatis, Sancti Spiritus, Venerabilis Sacramēti, B. Mariæ Virginis ſacra ſodalitia. Rebus itaque iſto modo conſtitutis latiſſimè ita res progreditur, vti catholici oblatos ſibi eos homines gratularentur, qui pietati ita cætera coniungerent, vti iidem & religioſè vitam haberent, & in commune conſilium atque operas conferrent, & eruditione poſtremò prudentiaque valerent, fauentium id poſtremò hominum ſtudium ſequeretur vti difficillimis Eccleſię temporibus, hoc iſto quo hæc anno ſcribimus, annis triginta poſtquam Ignatius eſt mortuus, per totum, quàm late patet, orbem Chriſtianum, per extrema Aſiæ, nouique orbis litora, Inſulasque, Prouincias in vniuerſum xxi. domus profeſſas decem, collegia centum quadraginta quinque, domus probationis ſeparatas duodecim, Reſidentias triginta quatuor, ſociorum denique quinque millia, centū octuaginta quinque Societas obtineat. Cùm itaque hęc illa ſtudia atque vota occultis exulum literis multis miniſtrorum Gallicorum atq. Anglicorum cohortationibus ſunt incitata, tum per vrbes Valencenas, Tornacum, agrum Inſulenſem nonnulla nouarum Religionum illicita collegia conuentusque haberi cœperunt. Fiebat idem, at minore occultioreque hominum ſtudio, nonnullis earum ditionum prouinciis quę Teutonicè loquerentur, adquas ex Embda vrbe Phriſię vt è Geneua in Gallias ea lues, vt plurimum manabat. Tornacum dum rerum ea vrbe potirētur, perhumaniter comiterque Galli habuerunt, ſic

*Seditiones hæreticorū Tornaci.*

enim exiſtimabāt, longiùs à cæteris regni vrbibus ſemotam vrbem nō niſi ciuium præclara voluntate tueri ſe inter tot hoſtes diu poſſe. Magna itaque Gallorū gratia Tornaci Carolo Cæſare imperante diu permāſerat, Gallisq. ita Tornacenſes libenter vtebantur, vt nulla cum gente commercia æquè frequentarēt. Cùm itaq. in Galliis feruere nouis ſtudiis cuncta cœperunt, tum id equidem Tornaci euenit, vt menſibus Auguſto & Septēbri anno M.D.LXI. conciones habere ad ſyluas vrbi vicinas frequente hominum multitudine Caluiniſtæ inciperent, peruulgata ea fraude ad homines corrumpendos mercatores vterentur, vt niſi hæreticorum hominum operas non conducerent, catholicorum merces vel minoris quàm cæterorum, vel nullas emerent, intra vrbem graues motus concitarent, ſub noctem in forum progreſſi Pſalmos ad numeros Geneuēſes decantarent, Præpoſito rerum capitalium, ciuiliumque ſupremo intra vrbem quæſtori literis minarentur. Valencenis maiore etiam motu res geritur: Magiſtratui in illicitos cōuentus diu quærenti ædes in ſuburbio denunciantur, quibus puellam dæmoniacam nouarū Religionum Antiſtites curandā ſuſcepiſſent, conuicti inquilini Philippum Maillard, & Simonem Faueau ex infima hominum plebe obſcuros atq. imperitos homines eorum conuētuum Principes accuſant, duci in vincula vtrumque iubet magiſtratus, ferre id eorundem ſtudiorum homines indignè, ſub noctem per plateas modò plures, modò pauciores Tornacenſium exemplo Pſalmos decantare,

*Seditiones Valencenis.*

captiuos de nocte clara voce hortari: Viros fortes se præstarent, auxilio se futuros si duci ad supplicium contingeret, libellos publicè de suo in eam religionem studio proponere: Præposito Scabinisque (si grauiùs quid in captiuos decernerent) literis comminari. Magistratus per Michaëlem de le Houe Præpositi vicariũ, & Antonium Coruillain Pensionarium ad Parmésem rem refert: respõdet Parmẽsis inanem eum metum existere, turpe magistratui futurum, si timere paucorũ hominum temeritatem est necesse. Responso accepto, quod Sabbato ad vesperam manu prõpti seditiosiq. qui lanam homines pecterẽt, vrbe discedere, reuertiq.ex agris vbi habitarent, nõ nisi die lunæ vt plurimũ consuêssent, ita rem magistratus cõstituit: Quinto Cal. Maij qui erat dies lunæ, summo manè sẽtẽtiam ex edicto reis pronunciat, nec mora, tria eius vrbis sagittariorum collegia armata in curiam ad se vocat, honestissimos quosque ciues inermes eo consilio accersit, quòd neq. armatos incedere per plateas cõuenirer, & armis curia abũdaret. Antoniũ de Goignies atq.eius fratrem Hãnoniæ nobiles (qui tum fortè cũ grauis armaturæ aliquot equitibus in vrbẽ aduenerant) rogat magistratus, cùm signo dato duci ad rogũ reos intelligerẽt, cõscensis equis in forũ venirent. Rebus itaq. hunc in modũ curatis, vixdũ productis damnatis magno hominũ impulsu crepat septũ, quo supplicij locus cingebatur, pergit magistratus, exclamat Faueanus: Pater æterne: ad eam vocẽ incerti toto foro hominum clamores, calcei sediliaq. in paratã lignorũ struem iniecta:

iniecta: cõturbari ad certum tumultum magistratus, damnatos in carcerem reducere, populũ edicto cõmonefacere: Goigneus quòd signũ è turri non daretur, seriùs in forũ venire, cùm aduenit, frustra de re componenda laborare: Semel enim auctoritate contẽpta, teneri in officio diutiùs homines nõ poterant, septo refracto ligna rapiuntur, arma toto foro inconditis vocibus ostentãtur, vno aliquo præeunte in genua sublatis in cœlum oculis multi procũbunt. Goigneus auctor magistratui existebat, vti secta damnatorũ capita è carcere in forũ proijcerentur: nõ placet anceps consilium. Dum itaq anxius magistratus delibe-rat, in carceres effractis foribus multi irrumpũt, sublatosq. humeris damnatos in forum boariũ, sacra fercula acclamante atq. accinẽte magna hominum turba, deportãt. Magistratui cõsilio rem agi placet, edictũ proponit: In suam quisque stationẽ discedat, qui ab excubiis stationeq. abfuisset, is cõmotæ plebis reus existeret. Paretur edicto, desertis reis ita res cõponitur, vti sub vesperam adducto in vrbem equitatu, inde diebus aliquot pòst peditatu damnatis dilapsis in auctores seditionis seuerè vindicaretur; alter è damnatis annis aliquot pòst laqueo periret. De agro Insulensi quod dicebamus, eius equidem rei memoriam vnde potius repetemus, atq. è Matthæi Launoy eo libro, quo Caluinistis respondet. Matthæus iste homo Gallus, totũ sese Caluino adolescens ita tradiderat, vti quas haberet ab ingenio & doctrina animi dotes, eas in huiusce factionis defensionem ita palàm atq. ingenuè collocaret,

*Ager Insulensis infestus hæreticorum concionibus.*

vti inter Galliȩ miniſtros locum cũprimis celebrẽ concionãdo inueniret: Inde Gallia profectus initiò per vrbes atq. agros Valencenarũ, Tornaci, Inſularum; hinc per Hollãdiam, Zelandiamq́. miniſter exiſteret. Pòſt nihilominus miſerante D. Deo eam hominis calamitatem, in quam imperitia atq. errore, non etiam odio atq. ambitione deuenerat, id accideret, vti Caluino deſerto ad eccleſiam Catholicã reuerteretur, culpæq́. quam admiſerat ita ſatisfaceret, vt qui publicè erroris magiſter extitiſſet, is contrà publicè & errorem fateretur, & cauſas libris doctiſſimè deſcriberet, quibus adductus à parte Caluini ad eam ſeſe Eccleſiam contuliſſet, quæ catholica toto orbe diffuſa nullum vnum ſuæ religionis auctorẽ, niſi Chriſtum atq. eius Apoſtolos reperiret. Reſpondent huic libro Caluiniſtæ: inde altero libro iterum Caluiniſtis Matthȩus, eo itaq. altero ſuo libro hanc quam ſumus deſcripturi hiſtoriam cõmemorat ita verè, vt qui loca cognôrit, homines, tẽpus, rem animaduertat, eum equidem fateri id ſit neceſſe, mẽtiri ita appoſitè hominem peregrinum nulla ratione potuiſſe. Anno itaq. M.D.LXII. Haiæ ad Matnam in Galliis concionãtem Matthæum mercatores nõnulli Belgȩ audierãt: cùm itaq. Principe Portiano relicto apud quem morabatur, Angliam ſtudiorũ cauſa Matthæus cogitaret, iterq́. ſibi in Angliam per Belgium cõſtituiſſet, factum eſt vt Valencenis ab iis mercatoribus qui Haiȩ fuiſſent, retineretur, probarent hominis ſtudiũ eius vrbis Seniores & Diaconi, multũmq́ eius opera Valẽçenarum Tornacenſiumq́.

ministri ita vterentur, vti varia per loca, intra horas quatuor & viginti sexies sępenumerò Matthæus concionaretur, placebat Senioribus ea hominis industria, plurimumq. ad nouæ Religionis dignitatem valere eam peregrini hominis auctoritatem existimabant. Tornacum itaq. Matthæũ accersunt, multaq. cum Matthæo cõtra magistratum sese oppugnantem consilia suscipiunt, dum est Tornaci Matthęus, acciderat vti Insulis ecclesię catholicæ ministerio dæmon è quodã honorato homine exorcismis pelleretur, multi quoque Rotnaci vrbe Flandriæ Sanctorum precibus curari à D. Deo dęmoniaci dicerentur, ægerrimè id ferunt eius ditionis Seniores, multúmque suæ apud homines existimationi decessurum existimant, si quod esset ab Apostolis factitatum, & in Ecclesia Papistarum fieri homines coràm intuerẽtur, id præstare suæ religionis Antistites minus possent: Cum quodam itaq. Ludouico in pago Quesnoy ad Duplam, & vxore cuiusdã Diaconi Perenchei eius item ditionis pago cõmorantibus paciscuntur, numeratam pecuniam atq. in annos singulos certum redditum vtrisque constituunt, si dæmoniacos sese profiterentur, curariq. se à suę religionis Antistitibus paterẽtur: Pauci rem istam curandam suscipiunt, neq. antè sunt eæ technæ à Matthæo intellectæ, quàm pecuniis non præstitis litem mouere debitoribus dęmoniaci cœperunt, totáq. est ea fabula in Hollandia ad annum M. D. LXXIIII. Matthęo à duobus Christiano de la Quenoillerie textore lini, & Ioanne VValle, qui cordis nectendis vitam ducere consuêsset,

fuêsset, earum VValonicarum ditionum Pontificibus commemorata. Pactis itaque susceptis Quesnoy Ludouicus, Perenchei vxor Diaconi quibus didicerant indecoris motibus sermonibusq. ingressum corporibus malum dæmonem mētiūtur: latè ea se fama per nocturnos fratrum conuentus diffundit, laborantes multi inuisunt, terrent homines indecora facies, prostrata humi corpora, inconditi sermones. Dæmon Ludouici nō nisi rustico idiomate, nec nisi in aurem Ludouico loquebatur, Dæmon Perencheus mulierem hortabatur vti in vicinā domui lacum se submergeret; Missam audiret, B. Virginem Hallis inuiseret, peccata cōfiteretur, tres Missas Cominij dici curaret, ter hausta manu aqua è vicina palude biberet: Refertur ea vti ferebatur miserorū hominum calamitas Tornacū ad Matthęum, rogant Seniores proficisceretur, curandis iis hominibus opem diuinæ gratiæ non negaret: recusat Matthæus, quòd nec miracula didicisset, neq. tantum sibi tribueret, vti sufficere se Dæmonibus arbitraretur, vrgent nihilominus seniores, clamāt interea Dæmones: Venturū breui peregrè quendā virū Dei, qui se abscedere ab hospitio sit coactus, antè sese nihilominus mulierē exēteraturos, Ludouico nasū auulsuros, spectatoribus quoq. quę nōssent obsessi, singulorū dedecora Dęmones cōmemorant. Matthæus itaq. expugnatus literis atq. nunciis Armenteriam proficiscitur, totosq. isthic dies septem, vti cōuenerat, cōmoratur: hinc deductus à fratribus ex itinere Perēcheā ad vxorem Diaconi diuertit. Mulier admonita vbi ho-

bi hominē eſt conſpicata, eueſtigio è manibus elapſa fugiens clamat: Quid nobis & tibi vir Dei? Veniſti huc ante tempus torquere nos? Mouet ignarū doli ea res Matthæum, accedit, mulierem manu prehendit, ad ignem proſtratā in genua orare vnà ſecum iubet, Symbolū fidei Matthæus pronūciat, ægrè prçeuntem mulier ſubſequitur, linguā inflâſſe ſibi Dæmonem cōmemorat, verba nōnulla trunca, nonnulla titubans tota pronunciat, multa quç ad rem nō pertinerent fabuloſa atq. incondita cōmemorat, minari ſibi Dæmonē affirmat, futurum vti malè à ſe excipiatur, quòd hūc accerſiri virū Dei curâſſet. Inſtat Matthæus oraret, fabulas omitteret, non reſpondet mulier, cōtorto atq. hiante ore vultum deformis vetula indecorè facilè cōponit: Matthçus ex ſpōda interiore lecti aſſidente ſibi Dæmoniaca concionatur, cōcione peracta obdormit, expergefactus à fratribus mulierē ſedi incubantē proiectis brachiis toto corpore indecorè ſeſe motitātem intuetur, proſternit ſeſe in genua, pauca orat Matthæus, nec mora, omni eo cruciatu libera, magno equidē miraculo quieſcit: Neq. enim ſine miraculo è muliebri cerebro Dçmō profligatur. Pauci (ne ille quidē ter magnus vxorius Pōtifex Beza) frequente eo ſuarum mulierum morbo obtinere id miniſtri vel vitç ſanctitate, vel exorciſmis potuerunt. Muliere itaq. reſtituta diſcedit Matthæus, diſcipuloq. Ioanni VVale eorum pagorū tum ſupremo Diacono, pòſt miniſtro mulierem cōmendat, ſic enim inter ſe operas Matthçus atq. VVale erant partiti, vti Paulus Matthæus, Timotheus

theus VVale existeret, Matthæumq. in quæ vellet loca: vnis Insulis exceptis quæ metuebat: VValeus deduceret. Nihilo interea quietior Dæmon Ludouici, multi nocturnis conuentibus deprecaturi pro Ludouico homines coëunt, frequentes ad Matthęum nuncij id affirmāt, curari nisi à Matthæo Ludouicum non posse, impeditus Insulis & Tornaci Matthæus discipulum VValeum pro se mittit, VValeo adiurante ita multa facetè Dæmon proloquitur, vti auditorū pietas in risum solueretur: hanc garrulam quæ fratrum conuentum esset proditura, hanc in inferno lotricem, illam cacabi purgatricem futuram affirmat. Dæmon submissè in aurem Ludouico loquebatur, inde accepta à dæmone ea verba Ludouicus palàm efferebat. VValei itaque imperio ad paucos dies hospitio dæmon abscedit, inde reuersus modò immani forma, quæ domū altitudine excederet: modò anatina, modò canina specie Ludouicum Dæmon ingreditur: Reuersus alios sibi mores Dæmon sumpserat, & ex faceto melancholicus, vlulator, furibundus deuenerat: si concionari ministros, precari fratres contingeret, è cœtu se abripiens Ludouicus parieti innixus, extensis in altum brachijs horrendum in modum vlulabat. Seniores & Diaconi qui Diabolum cognôssent audenter accedunt: Nihil tibi, inquiunt, Sathan iuris in hunc hominem: Per Deum viuentem te adiuramus, effare quæ te causa atque ratio in istam miserit possessionem. Refert suo more Ludouicus, dicere sibi Dæmonem contremiscere se ad eam Seniorum adiura-

adiutationem, antè ſeſe nihilominus non eſſe digreſſurum, quàm vir Dei adueniſſet, cuius ſeſe auctoritati cedere oporteret, cuiuſque imperio maiores in inferno vna eſſet die pœnas daturus, quàm totis retro annis triginta, quibus Ludouici progeniem diuexâſſet, fuiſſet perpeſſus: multùm ſeſe laborâſſe, vti flammis hic vir Dei exureretur: verùm hunc eſſe Dei ſeruum, in quem nullę ſuę artes valerent. Matthæus multis iſta literis atque nuncijs intelligit, diſcedere nihilominus Valenciana & Tornaco non licebat: quod cùm per negocia eſt permiſſum; & Inſulis Matthæus dies octo commoratur, acciderat vti Turconium tribus ab vrbe Inſulana miliaribus diſtantem pagum ad baptizandos tergeminos ex ſententia Conſiſtorij proficiſceretur: inde re Turconij confecta Queſnoij Ludouicum inuiſeret. Noctu itaque longiſſimè à cõtinentibus ædificijs Matthæus concionatur, intererat concioni Ludouicus, qui multis atque ijs inconditis clamoribus terribilem auditoribus eam concionem efficeret. Quæ res vt maiorem etiam ſpectaculi metum concitaret, quatuor ſe viris intra aridam foſſam quæ aluo ſepiretur teneri difficulter Ludouicus patitur, aluetumque corporis iactatione homo robuſtus annos natus triginta facilè confringit. Proſternit itaque ſeſe in genua Matthæus, complures doli ignari lachrimantur, nõ fert eam vim precum Ludouicus, multò quã antè maiore motu corpus atque vocem concutere, dicere poſtremò: fratres, Diabolus iam eſt ligatus, corda ad Dominum pro me leuate, diſ-

 ceſſurum

cessurum in perpetuum Dæmonem dicere si Ludouicus confiteretur, tres missas dici curaret, ter hausta manu aqua è palude biberet, cerasum è suo horto, pilum vnum è barba, alterum è vaccæ suæ cauda Dæmoni donaret. Non placent conditiones Senioribus, diu litigatur: Verùm quòd iam dies instaret, quo vel abscedere à Ludouico, vel domū cum Ludouico reuerti Dęmonē erat necesse, ingenti edito eiulatu secus Matthęum in terram corruit Ludouicus, accurrunt Seniores, aceto hominem refocillant, discessisse non rediturum Dæmonem clamâsse idcirco se affirmat, quòd discedens nasum auellere sibi Dæmon conaretur, dixisse discedētem sibi Dæmonem, postulaturum se fuisse à Matthæo, vti in arborem in annos centum secedere sibi permitteretur, verùm id fuisse Matthæi imperium, vti subitò fugere sibi in infernum fuerit necesse. Restitutum itaque hunc in modum Ludouicum officiosè vanno impositum, humerisque sublatum in ędibus Ludouici Becquij lecto fratres componunt, eo fœlici rerum successu, vti horis aliquot pòst mensæ adhibitus egregiè pranderet. Quæ res cū in vulgus est elata, tum equidem ingenti veneratione atque obseruantia colere Matthæum homines incipiunt, noctu vel pratis vel siluis concionantem tria, plura etiam hominum millia comitantur: vterque & Ludouicus & vxor Diaconi omnibus conuenientibus huic (vti aiebant) viro Dei acclamant, tanto fauentium hominum studio, vt qui manu minus possent, ij vel pileo vel protensa veste Matthęum contingerent, vestem-

quę exoscularentur. Quin passim in plurimarum puellarum capita atque ventres ita complures irruūt Dæmones, vti curandis ijs vētriloquis obstetrices adhiberi esset necesse. Hunc itaque in modum per ea tempora proferre sua studia in publicum Caluinistæ incipiunt: Indignè tantam sui imperij contumeliam fert Parmensis, iudices Tornacum & Valencianam extra ordinem transmittit, reos supplicijs coërcet, Inquisitores de munere commonefacit, magistratibus prouinciarumq. supremis tribunalibus Regis voluntatem ostendit: Cōtrà Caluinistæ libellos famosos, Religionis suæ professionem Regi inscriptam, Inquisitionis Hispanicę barbariem, aliaque eius generis multa proponunt. Montignæus in Hispanias (vti ostendimus) profectus, hoc item mandatum acceperat, vti Regem de hac inclinata hominum in noua studia voluntate edoceret, de Inquisitione ita loqueretur, vti inuisam eam esse toto Belgio ostenderet. Respondérat Rex perpetuam eam sibi curam præcipuamque semper extitisse, vt quod prouincijs stipulantibus promisisset, quod iniuratum præstare officio se oporteret, vna toto Belgio Religio Catholica valeret, pati itaque se minus posse, vt religione Catholica neglecta indulgentius quàm consuêssent hęretici haberentur; Non esse quòd de Hispanica Inquisitione homines vererētur, solas eas se Belgis leges relinquere, quas æquissimas vtilissimasque Cæsar pater promulgâsset: cùm cœtera Reip. munera pœnis præmiisque curarentur, vnam deseri longè optimam præclarissimamque

*Regis de Inquisitione sententia.*

Reip. partem, Religionem non debere. Cùm itaque tam esset hac de re certa Regis voluntas, multa nihilominus homines adferrent, cur retineri eam veterum legum seueritatem non oporteret, facilè id est secutum, vti minus quàm solerent officiosè de Rege homines & sentirent & loquerentur, proceresque in eam sententiam complures discederent, vti seorsim ea in Hispanijs sibi consilia Regem capere affirmarent, quæ neque hominum mores, neq. sua quam haberét in Rep. dignitas pateretur, totamque eam animi indignationem in Cardinalem atque Viglium effunderent. Viglium, gratiosum olim hominem idcirco odissent, quòd & Cardinale perquàm familiariter vteretur, & vxore amissa Præsbyter effectus Præposituram Sancti Bauonis Gandaui à Rege impetrâsset: augeret eas offensas reuersus ex Hispaniis Hornanus, qui & odiis quæ commemorauimus à Cardinale diffidebat, & spe minora in Hispaniis consecutus, æs alienum ægrè sustinebat. Anna Egmódana soror Maximiliani Comitis Buræ priore matrimonio nupserat Iosepho Montmorantio, ex eo susceperat proles quatuor, Philippum, Florentium, Mariam & Eleonoram, inde Iosepho mortuo nupserat Ioanni Hornę Comiti, Pręposito & Canonico Sácti Lamberti Leodij, ad qué fratris morte is Comitatus redierat. Montmorantij iure agnationis Ioanne siné liberis extincto rediturum eum ad se Comitatum affirmabant, contrà gentiles eam sibi hæreditatem iure gentilitio vendicabant. Anna vxor apud Comitem maritum auctoritate

*Viglij odium.*

*Comes Hornæ, eius dignitates & ingenium*

atque gratia plurimùm valebat, facilè itaque cũ eo matrimonio liberi nulli nascerentur, id marito persuadet, vti quæ res iure ad Mõtmorantios esset reditura, eam sua voluntate iudicioq. Philippo priuigno daret. Vitrico itaque sine liberis sublato succedit Philippus, qui & maris Belgici supremum imperium (Admiralatum dicimus) & honestissimam Palatii dignitatem, Regiorum excubitorum præfecturam, & Senatoriam à Rege dignitatẽ pòst acciperet. Huic Hornano vxor erat VValdeburgis soror Hermanni Comitis à Noua Aquila, ea affinitate transierat in Hornani familiam quoddam (vti ferebatur) reformandæ Religionis, seu confessionis Augustanæ desiderium, quin Hornanus, cui loquẽtiæ tribuere homines plus consuẽrant, quàm dignitati conueniret, multa omni sermone de componẽdis Religionis controuersiis ex fràtris Hermanni & Georgij Cassandri eruditorum hominum sentẽtia loquebatur. Henricus Bredenrodius, Florentius Pallantius Comes Culenburgij, Guilielmus Comes Herẽbergij vxoribus è Germania in matrimonium ascitis, multo etiam lõgiùs à Catholicæ Religionis obseruantia discesserant. Accedebant horum studiis multorum Catholicorum hominum de pœnarum seueritate querimoniæ. Multis itaque rationibus fiebat, vti iis sermonibus iudiciisque res exagitata & suspectam Regi nostrorum hominum in se fidem efficeret, & nostris eam animo cupiditatem afferret, vti à quo instituto rationibus minus posset, ab eo vel summis rerum difficultatibus, vel grauissimorum pe-

riculorum metu abduci Regem postularent. Atque hæc publicarum quidem rerum dissidia existebant, priuata multa accedebant. Orangius (quod facere se Poëta Martialis nolle dicebat) Lipsiæ in Germania Annæ filię Mauricij Ducis & Electoris Saxonię mulieri Lutheranę, ritu Lutherano nubere constituerat. Cum Cardinale itaque Orangius deliberat, respondet perhumaniter Cardinalis, multaque causatur, cur damnosas sumptuosasque eas nuptias non probaret: Contrà, Orangius eò rem progressam affirmat vt discedere ab iis nuptiis, de quibus cum Augusto patruo conuenisset, minus posset, irascitur Cardinalis, grauemque sibi facere iniuriam corā Orāgio magno stomacho sępius commemorat, ea vtriusque offensa, vti post eum diem manifesta sese odia in vulgus proferrent. Quin Egmōdano istiusmodi cum Cardinale simultatis ratio inciderat: Hesdinum in Artesia vrbs noua vetere exciso Hesdino à Rege Philippo constructa, omnium eius prouinciæ longè honestissimam ditissimamque præfecturam habebat, eam Domino Noiellij mortuo multi summi ordinis viri ambiebant. Antonius Dominus Helfautij vir nobilis (sed qui cœteris candidatis nec dignitate, nec gratia par vulgo existeret) eandem & ipse præfecturam petit. Antonio cui optimè volebat id consilij dat Cardinalis: Esse eam de more Artesiæ præfectorum prærogatiuam, vti quarum per eam Prouinciam vrbium arciumque præfecturæ vacarent, ad eas vrbes atque arces quos vellent tres Regi nominarent, inde ex eo numero

*Orangius Annę Saxonæ nubit.*

*Egmōdani priuata in Cardinalē odia.*

numero quem vellet vnum Rex assumeret. Curaret itaque Helfautius vti se Egmõdanus Regi nominaret,id si impetraret, curę sibi rem cœterã futuram. Aggreditur itaque Egmondanum Helfautius,intelligere se affirmat, quam contendere cum iis quos haberet competitoribus nõ posset, nominationem eo itaque sese studio flagitare, vti dignum eo se loco Rex intelligeret, sibique ea repulsa maiorem in posterum petendi apud Regem auctoritatem efficeret: persuadet Helfautius, Regiq́ue præter tres à se delectos, dicis causa quartum Helfautium nominat: fallit ea res Egmondanum, præfecturamq́ue Cardinale quod ferebatur patrocinante, summa Egmondani offensa Helfautius à Rege accipit. Francofurti per ea tempora Imperij comitia creando Regi Romanorum Maximiliano filio Cæsar Ferdinandus habebat: frequentes ad ea comitia cùm Germanię, cœterorumq́ue regnorum Principes legatiq́ue, tum à Turca splendidissima legatio aduenerat. Brabantini à Carolo Quarto Imp. certa maximarum rerum priuilegia olim acceperãt, (Bullam auream appellant) ostendũt, itaque Parmensi Brabantini, multas sibi cum Coloniensibus, Aquisgranensibus, aliisq́ue Imperij subditis esse controuersias, necessarioq́ue ea de causa eius se diplomatis confirmationem postulare à Cæsare debere; assentitur Parmensis, legatiq́ue à Brabantinis Antonius Stralen & Gulielmus Martini Antuerpienses ad ea comitia proficiscuntur. Proficiscitur quoque ad ea comitia legatus Regius Dux Areschoti, priua-

*Imperij comitia Francofurti.*

toque officio Orangius & Egmondanus. Habebat iis quoq. Comitiis suos Legatos Ludouicus Borbonius Princeps Condei,& pro Belgis ij Cęsari Ferdinando libelli proponuntur, quibus societas religionisq́.quam haberet Imperiũ, libertas flagitaretur, quæ res vt maximè à paucis atq. iis ignotis proponeretur, suspecta nihilominus nostrorũ hominũ studia Regi faciebat. Crescere interea domi simultates,multa homines de Consultæ instituto causari, coniurâsse Cardinalem, Barlaimontiũ,Vigliumque, per eos homines dignitatē sese tenere nec in Senatu nec in Rep.posse:si quæ res grauior in Senatu proponeretur, si cuius honorati hominis de dignitate præmiisq́. ageretur, tum Parmensem quæ Cardinali inuita seruiret in incertum Consultæ diem eius rei deliberationē differre,nec nisi Orangio cæterisq́. absentibus habere eum Cōsultæ diē non solere:Inuisam nouo homini Cardinali veterē suæ gentis dignitatem existere, solum sese rerum Belgicarũ supremum arbitrum Cardinalem postulâsse, intellexisse quàm hoc ferre suum imperium homines non possent,dolo malo curâsse, vti verbo,ad homines deludendos nonnulli summi ordinis viri in Senatum venirent,re,auctoritatem eo Senatu nullam haberēt : inualescere vicinorum regnorum exemplis nouarum Religionum studia; tot damnis acceptis quiescere Valencenas nondum posse, missos in eam vrbem cognitores, Marchionem Prouinciæ Præsidem, Auxstrusium, Indeueldium, Rotallerum, Mesdachium, supremorum tribunalium iudices, consiliorum

*De Cardinalis potentia totiusque Rei publicae procerum Belgij querela.*

suorum

ſuorum exitum in tanta peccantium multitudine inuenire nullum potuiſſe, magno atque incredibili Reip. malo accidere, vti Regis atque legum auctoritatem contemnere homines incipiant, prudentes legiſlatores eas ferre leges debere, quibus parêre homines ſine iniuria poſſint, futurum alioquin vti de tota auctoritate Reſp. laboret, non eſſe eam ſuam ſententiam, vt liberrimè pro ingenio ac libidine profiteri homines quam vellent Religionem poſtularent, vnum deſiderare, vti prouinciarum coactis Ordinibus de re longè grauiſſima deliberationes ſuſciperentur: omnino eam eſſe penes Ordines Religionis Catholicæ auctoritatem, eam in Regem fidem, id concordię atque patrię ſtudium, vti & Religioni cõſeruandę, & dignitati ſuæ retinẽdæ peropportuna remedia iis ſit Rex conſiliis inuẽturus; Magnam quoque eas leges auctoritatem eſſe habituras, quas iis auctoribus Rex eſſet laturus, qui & ſingulorum hominũ ingenia cognôſſent, & omnium intra ſe hominum cõpellationem continerent: Quod ſunt corporibus morbi, id eſſe Rebuſp. diſſenſiones: Quod corporibus medicina, id Rebuſp. leges. Religionem longè optimam atq. eam præclariſſimam Reip. partem diſſenſiones inuaſiſſe, medicinam ei morbo acres leges in Belgio Cæſarem, in Galliis Franciſcũ & Henricum, in Anglia Henricũ & Mariam adhibuiſſe, rerũ euẽtum docuiſſe, ferre eam medicinæ acrimoniam morbum minus potuiſſe: imperitè itaq. ea nũc rurſum vti Regẽ medicina, quę ęgrotã ſit Remp. funditus euerſura: bonos Principes
 ſubdi-

ſubditorum iudicia metuere non ſolere, ſolam eſſe Cardinalis ambitionem, quæ ingenuos hominum ſermones, ordinumq́. legitimos conuentus vereretur, multas eſſe ærarij difficultates, vectigalis nouennalis finem inſtare, multas eſſe veterum ſtipendiorum querimonias, multas limitanearum vrbium atque arcium neceſſitates, ſi pecunias ex Hiſpaniis Rex non tranſmitteret, ſi Regium Belgij patrimonium ad res eas non ſufficeret, omnino vel deſeri Remp. oportere, vel indictis comitiis pecuniam eſſe ab Ordinibus poſtulandam. Addebat in Senatu (vt accepimus) eam ſententiam Orangius, vnum aliquem dari Præſidem iis Ordinum comitiis debere, qui diſſidentes variorum hominum ſententias auctoritate prudenter moderaretur, eam Regi operam qui præſtare præclarè poſſet Marchionem Bergenſem exiſtere. Cardinalis cōtrà, nouam Remp. meditari hoſce homines iis quæ proponerent comitiis affirmabat, futuros ibi Abbates, qui nouorum Epiſcoporum inſtituto graues animo iras concepiſſent, futuram nobilitatem, quæ Orágio cæterisque eius ſtudij ambitioſis hominibus totam ſe dediſſet, futuros vrbium delegatos, qui vel proceribus adulari didiciſſent, vel rerum imperitia grauiſſimarum rerum cura neglecta, minutarum cōcertationibus totum eum eſſent cōuentum turbaturi, futuros fortaſſis etiam nonnullos, qui damnata nouarum Religionum conſilia in publicum eſſent prolaturi: inde ſi ſententię ea de re non rogarētur, ſi à prudētioribus proponi rem eam non debuiſſe diceretur, tum vti e-

*Cardinalis ad eas querimonias reſponſio.*

repta

repta comitiorum libertate, ſic in grauem Regis tyrannidem totis comitiis clamaretur: Non probari Regi, vti ſe abſente exacerbatis nulla ſua culpa hominum animis iſta extra ordinem comitia haberentur: nullos, neque Regem neq. Cæſarem, ſuorum ſubditorum vel ſermones vel iudicia vnquam timuiſſe: Quod ſingulis ſunt hominibus voluptates, id eſſe populis atque vrbibus libertatis mentionem: futurum vt poſteritatis memoriam ſuſtinere difficulter queant, qui ementita libertate grauiſſimam animorum atq. corporum ſeruitutem populis procurarent; omnino facturos officium homines fuiſſe, ſi rerum nouarum ſeſe Duces nulli oſtendiſſent. Nō eſſe tam ſe bardum, quin illud quod de vno Comitiorum Præſide diceretur, non etiam per ſe intelligeret, futurum, ſi ea ſemel ſententia recipiatur, vti non ad Marchionem ſed ad Orangium hominum ſeſe vota atque ſtudia conferrent, ne huic quidē Marchioni tribui eam nouam atque ignotam priore ſæculo dignitatem oportere, ne quod Conſulibus Romę Tribuni, id Regi in imperio Marchio ſit futurus. Grauiſſimis itaq. huiuſcemodi altercationibus non Palatio modò, ſed tota paſſim ditione litigabatur. Et quidē quod de Marchione proponebatur, gratioſum ea ratione exiſtebat, quòd magna eius Marchionis vulgo laus exiſteret, grauitas in moribus, prudentia in Conſilijs, Religionis Catholicæ verum ſtudium, Regis obſeruantia, patriæ poſtremò libertatisq́. (quod ferebatur) ſummus amor. Annus dum iſtis motibus aula Belgica iactatur erat ſecundus & ſexageſimus

*De Marchione Bergensi hominum iudicia.*

*Anni M. D. LXII. finis.*

simus supra millesimum quingentesimum, quo tota Gallia crudelissimis seditionibus bellisque flagrabat ea nostrorum motuum similitudine, vt non tam ouum ouo simile, atque ij tumultus existerent, qui initio Franciam, inde nostras hasce prouincias subuerterunt. Vtrobique absentes Reges, corpore Philippus, ætate Carolus: Vtrobique absentium Regum procuratrices Principes mulieres, Catharina Medicea in Galliis, Margareta Austria in Belgio: Vtrobique rerum Duces, Cardinales, Lotharingus & Granuellanus: Principes, Condeus & Orangius Admirallij vtrique affines; Causæ vtrobique eædem: In Galliis Hugenottis, Guisium hominem (vti aiebant) peregrinum maiorem regno auctoritatem tenere, quàm suam ferre existimationem Condeus profiteretur, Ordinum conuentus iudiciaque metu peculatus recusare Guisium, Connestablium, & Marischalcum Sancti Andreæ: Regni æs alienum dissolui nisi Ordinum indictis comitiis nō posse: Regem Reginamque Guisiorum dolis Lutetiæ captiuos teneri: Edictum Ianuarij, quo securitas suæ esset Religioni totius regni auctoritate constituta, indignè violati. Contrà, Catholicis, vniuersi regni comitiis summam rerum Rege impubere Reginæ-matri esse delatam, libertima voluntate sua studia Reginam comprobare, accedere Antonij Borbonij Regis Nauarrę, cui proxima esset à Regina dignitas, omniúmque quæ toto regno existerent supremorum tribunalium auctoritatem: Nulla sese Ordinū comitia re-

*Francia Belgiique par fortuna.*

tia re-

sta recusare, vnam esse ambitionem, malámque seditiosorum hominum mentem, quæ pati veterem Regni morem atque ordinem non posset: Edictum Ianuarij ab iis nunc commemorari qui tum cùm promulgaretur magnam sese iniuriam accepisse eo edicto causabantur; quòd neque intra vrbes, neque deiectis toto regno Catholicis grassari sibi Caluinistis pro imperio permitteretur, quique tot tantisque rationibus edicto violato grauissimas Religioni Catholicæ iniurias dedissent, fieri id peruulgato istorum hominum more, vti iniuriã se accepisse, si dare impunè nõ possent, profiteantur. Atque hæc in Galliis, quibus ea erant simillima quæ iisdem tum temporibus omnibus & consiliis & sermonibus in Belgio ferebantur. Totus itaque is annus secundus & sexagesimus infamis funestúsque ita Regno euenit, vti ad varias vrbes translato bello, regno direpto, Nauarreo Rothomagum obsidẽte globo ex vrbe emisso interfecto, auxiliis ex Hispaniis, toto regno, Germania Angliáque comparatis ad XIIII. Calend. Ianuar. iustis exercitibus ad Dreusium vrbem Normanniæ eo euentu pugnaretur, vti Duce Hugenottorum capto, cruentam Rex Carolus amisso Marischalco & capto Connestablio victoriam duce Guisio obtineret. Hisce itaque cladibus Galliæ, at noua nobis in Cardinalem coniuratione annus claudebatur. Frequentes ad festum Beati Andreæ aurati velleris equites conuenerant. Octauius Dux Parmæ (qui ex Italia tum fortè aduenerat) gratiosus nostris hominibus ad animos *In Cardinalem coniuratio.*

componendos sermonibus, cõuiuiis, consiliisq; vnà cum vxore nequicquam laborat: coniurant in Cardinalem cumplures, recusant cùm alij nõnulli, tum omnium acerrimè Philippus Croïus Dux Areschoti, Guilielmus Marchio Rentei, & Barlaimontius. Et quidem quibus ea coniuratio rationibus sit suscepta, verbísne ritè conceptis nominibusq. descriptis, an (quod magis credo) nullo scripto, verbis modò manuq. comprehensa, difficulter dixerim: & quidem in vnum atque eum solum fuisse Cardinalem cõiuratum, quem odisse sese homines nulla Regis iniuria posse profitebantur, id equidem inficiari, Albano imperante, ne fisci quidem Procuratores potuerũt. Ratio verò cur minus solemniter id fecisse nostros homines existimem, ea mihi existit, quòd neq. eius fœderis exemplar vllo sit iudicio ab accusatoribus productum, neque qui in Egmõdanum atq. Hornanum testimonia dixerunt id affirmâsse animaduertam: vtcunque res sit, non sine graui Regis offensa suscipi eæ inimicitiæ idcirco potuerunt, quòd non tam Cardinalem quàm sua in Cardinale consilia reprehẽdi magna cum contumelia Rex arbitraretur. Coniuratione itaque suscepta ex sociorum sententia Regi Orangius, Egmondanus, & Hornanus ad v. Idus Martij anno M. D. LXIII. ita scribunt: Si hoc vel officij in te nostri ratio, vel rerũ publicarum pati diutius salus potuisset, libenter equidem quod diu fecimus, id tuis grauissimis curis negociisque etiamnum daremus, neq. de re longè grauissima ad te scriberemus, verũ cùm ea sese rerũ magnitudo

*Orangij, Egmõdani, & Hornani de Cardinale ad Regem scriptæ querimoniæ.*

tudo his prouinciis ostendat, quę & obseruātiæ in te nostrę rationem, prouinciarumq́ intra se salutem vnà cōtineat, necessariò nobis fuit faciendum, vti ingenuè grauissimorū ad te periculorū causas scriberemus. Cumplures summi ordinis viri (qui dominari publicis Belgicarum rerū negotiis Cardinalem animaduertunt) id credere, id videre sese asseuerant, vnum esse Cardinalem ad quem rerum publicarum summa sit translata, ita altè huius rei cogitatio in illorum, & (quod palàm profitemur) in nostros quoq. animos descēdit, vt Cardinale in Belgio remanēte euelli ea opinio nulla ratione possit: Per illam itaq nostrā in te fidē, quā tot retrò argumētis cognôsti, id te oramus, vti quanti ea sit res momēti, quātiq. intersit, vti ea ex hominū mētibus offensa deleatur, cogitare etiam atq. etiā velis: Id enim certò te statuere tecū oportet, quādiu est in Rep. Cardinalis versaturus, quē tanta indignatione homines oderunt, neq. te, quē desideras, neq. nos quē optamus felicē rerū successum esse habituros. Quāobrem si prouinciarū vlla tibi est cura, si res tuas rectè administrari, si publicos rerū motus caueri postulas, id equidē quod flagitamus vti facias obnixè oramus. Si tam nō essent in vicino pericula, si tam morā pati res ista nō posset, nunquā equidem id nobis sumpsissemus, vti hoc vehemēti scribendi genere vteremur. Verùm, est ita sanè, vt nec dissimulari, nec differri ea res diutius possit: quāobrem si vllo antè tēpore fidē apud te nostri sermones inuenerunt, hoc certè illud est tēpus, hęc illa est ratio, cùm maximā certissimāq. inuenire nos

opor-

oportet: quod si es facturus, certè maximorũ instantiũ periculorũ damna cauebis. Atq. hæc fuit equidem causa, cur viri Principes cumplures, qui prouincias imperio procurarẽt, alij quoque honestissimi ordinis nonnulli referre hasce ad te res voluerunt, quòd intelligerent re ista à te neglecta certam esse Remp. perniciem habituram: contrà, si quod speramus, plus apud te tot optimorum subditorum merita, tot pro publica salute & tranquillitate postulata valebunt, quàm vt in vnius gratiam tot velis optimos ministros auersari, id certè futurum existimamus, vti ea re impetrata fœlicem breui Remp. eo rerum successu sis habiturus, vt & consilij tui præclarum fructum, & obsequij in te nostri maxima certissimaque testimonia sis adepturus: idque eo facilius, quòd prudenter ita rem Parmensis gerat, vti magnas ei habere nos gratias sit necesse: futuri sunt fortassis, qui ambitiosè aut auarè proponi ista à nobis affirmabunt, id ne de optimè sentientibus inducere in animum possis, accuratè, quod per te liceat, oramus, vt Senatu motos abesse nos ab eo concilio patiare, in quo Cardinali eius merito infensi, neque tuæ maiestati, neque nostræ existimationi satis facimus. Quod ad Religionem attinet, quæ res maximi momenti nunc existit, id recipimus, quanta à nobis & Catholicis subditis flagitari possit, tantam nos operam Religioni conseruandæ impensuros. Sanè si non quam consuêssent eam Religioni assiduam viri Principes, nobilesq. operam impendissent, iampridem quo nunc existit tolerabili tranquil-

loque

loque Religionem statu non haberemus: iam enim latè per vulgi animos lues grassatur, neque mederi graui malo Cardinalis vel auctoritas vel vita potest. Quin præter hasce ad Regem literas, libellũ in hãc sentẽtiam Parmensi proponũt: Re deliberata cùm Prouinciarum Præfectis, cęterisque viris Principibus, qui Bruxellam ijs quas nôsset Parmensis de causis venissent, multa sese inuenire in Rep. quæ neque Regis amplitudo atque dignitas, neque pati Prouinciarum salus diutius possit. Initio nouarum damnatarumque Religionum prætextu, aliisque de causis (quæ commemorari omnes difficulter possunt) accidere, vt magistratuum atq. legum magnus vulgo contemptus sit exortus; necessariò itaque eam suscipi curam debere, vti cùm vetera edicta huic malo minus sufficiant, citissimè nouis legibus rationibusque tanti periculi atque mali damna caueantur. Deinde, Cataphractos ordinarios equites de veterum bellorum atque annorum stipendio iampridem seriò, idque sæpissimè secum egisse, fecisse se hactenus vti quibus possent, optimè meritos milites verbis atq. spe cohortarentur, agere nunc istos equites multò quàm antè secum seueriùs, exprobrare tot in annos dilata promissa, ostendere veterem fidem atque operã, commemorare ęs alienum, patrimonium diuenditum, eò rem progressam affirmare; vti ob æs militia contractum experiri secum iudicio creditores incipiant; iniquum, vti pro stipendiis verba sibi exoluantur. Eandem esse querimoniam ordinariorum peditum, quibus quadriennij sti-

*Libellus à Proceribus Parmensi propositus.*

pendium deberetur : Accedere eorum postremò militum sermones, qui stipendio non annumerato militia essent dimissi, & quidem hos ordinarios equites atque pedites eò iustiorem suam querimoniam profiteri, quòd proximo Octobri mense, nouennalis sit pensio cessatura, quam in equites atque pedites ordines subministrarent, neque nouorum comitiorum spes vlla etiamnum ostendatur: qua ratione id futurum milites dicere, vt vel se Rex sit exauctoraturus, vel malè solutis stipendiis inuitos in militiam sit coacturus. Præterea magnas esse ærarij difficultates, iis accidere vt neque Regi Parmensique auctoritas constaret, neque curari quæ oporteret ritè possent, limitanearum vrbiũ munitiones eam ruinam minari, cui sarciendæ neque vllæ sint opes suffecturæ, & hostibus percommodæ sint futuræ: perexiguam spem Regem facere, futurum vti aliunde subministratis pecuniis harum prouinciarum necessitatibus satisfiat. Grauem itaque eam causam existere, cur metuere se quæ dicerẽt oporteret. Accedere alterum quoque metum, vereri se vti peregrini mercatores (quibus de pecunia Regi credita quæstores Regij tabulis cauissent) iure arresti in Belgas mercatores vti incipiant, id si faciãt, intelligere Parmensem quàm ea res mercimoniorũ cœterisque Belgarum negociis damnosa sit futura. Tantas esse res istas quas proponerent, vti omnem iis Reip. salutem contineri arbitrarentur. Multùm itaque atque diu in res eas cogitantibus id sibi atque illis quos dixissent consilij placuisse, quod vnum atque so-

lum

lum supereſſe arbitrarentur, indictis vti ordinum generalium Comitiis de rebus tantis Parmẽſis videret. Probari ſibi equidẽ eam de Comitiis ſententiam, inſtare ſe nihilominus apud Parmenſem minus ſtudioſè, vt hoc quod ſibi cęterisque probaretur conſilium, ipſa quoque ſequeretur, idque ea ratione, quòd imperâſſe ſibi Regem Parmẽſis affirmaret, vti ordinum Comitia nulla haberet. Non fuiſſe id equidem Regem imperaturum, ſi non etiam Regis patriæque iurati hoſtes malis artibus calumniiſque malè ſuſpicari Regem de Ordinibus, eorumq. collegiis coëgiſſent, ij homines, qui nec alios mederi publicis malis paterẽtur, neq. remedium per ſe ipſi vllum adferrent, non poſſe non ſe ea cõtumelia atque hominum iniquitate commoueri: rogare itaque vti quoad meliore conſilio vti Regem contingat, abeſſe ſibi bona Parmenſis gratia ab ea curia & concilio liceat, quo annos iam quatuor numerus atque vmbræ extitiſſent: id ſi impetrarent, & magnas ſeſe Parmenſi eſſe gratias habituros, & cætera negocia, quę vel ad Regis tuendam dignitatem, vel ad cæterorum ſuorum munerum procurationem pertinerẽt, ſumma ſeſe fide atq. ſtudio eſſe curaturos. Et quidem hiſce literis Aranjua menſe Iunio in hanc ſententiam Rex reſpondet: Multa extare eorum qui ſcriberent in ſe præclara fidei atque obſequij teſtimonia, non dubitare ſeſe itaque quin optimè in ſe animati ea ſcriberent quæ literis continerentur, verùm cùm id pati ſua conſuetudo minus poſſit, vt miniſtris indicta cauſa moleſtiam

*Rex literis reſpondet.*

L ij faciat,

faciat, pergratum sibi futurum, si è tribus vnus ad se est venturus, causasque coràm est explicaturus, cur facere se quod postularetur oporteret, nullas enim literis causas recitari, neque curari per absentes rem tantã facilè posse. Respondent denuò Cal. Aug. Orangius, Egmondanus, Hornanus: Quartum iam mensem expectantibus redditas sibi eas esse literas, quas mense Iunio Rex dedisset, legisse eas eos proceres quibus auctoribus priores scripserant; pergratum sibi cœterisque extitisse, quòd præclarè de se Rex sentiret, scriberetque, omnino plenius se responsum à Rege expectâsse, iis enim de rebus se retulisse, quarum curam procrastinari non oportebat. Quod de vnius profectione scriberet, optâsse, vti non vni sed in vniuersum omnibus ea ad Regem veniendi facultas tribueretur, quòd ab absẽtibus neque publicæ rerum necessitates, neque sua in Regem studia explicare facilè possint. Verùm eos nunc esse in Belgio rerum metus, ea vicinorum regnorum exempla, vti domo abesse sine graui Reip. periculo non possint: tanti non esse Cardinalem, vti in eius gratiam deesse officio se suo oporteat: Nolle se vt iudicio sic in delati Cardinalis nomẽ subscribere; certè id sese existimâsse futurum, vti iustissimis subditorum querelis honesta commodáue qua ratione Rex subueniret. Præclaram eam esse Regis sententiam de ministris indicta causa non violandis, verùm non id agi vti damnum Cardinalis accipiat, quin contrà id se postulare, vt subleuatum eo onere, cui par non existeret, quouis digno eum loco alio Rex collocaret.

*Alteræ Procerum ad Regem literæ.*

ret. Quod de causis exprimendis moneretur, esse ita sanè vt nisi certi criminis rei fieri nulli possint: Verùm neque Cardinalis sese accusatores extitere, neque rationes defuturas sibi fuisse, si accusatoris personam suscipere voluissent: Vnũ se spectâsse, vti sibi, quorum fidem Rex laudaret, de animorũ offensa verè monẽtibus Rex assẽtiretur. Totum iam bienniũ multis sæpe de rebus Regẽ sese monuisse, Parmẽsi libellum, cuius exemplar transmitterẽt, porrexisse, videre se quàm tot suis studiis nil proficerẽt: In Senatum itaq. nõ esse se posthac redituros, quòd neq. sententiæ dicendæ dignitatem tenere eo Senatu possint, neque vel Regi, vel Reip. vtiles eẽ suę cum Cardinale simultates existerent. Libenter itaque sese Cardinali eã quæ sibi deberetur, quamque Rege inuito Cardinalis assumeret, auctoritatem esse relicturos, rebus cæteris officio sese suo nullatenus esse defuturos. Scribere se isto modo impolitè, non esse se magnos Oratores, facere se quàm dicere doctiores. Respondet iterũ Barcelona XI. Cal. Mart. an. M.D.LXIIII. in hanc sententiã Rex: De Cardinale sese deliberaturum: Velle in Senatum reuertantur, plurisq. suam auctoritatẽ, atq. istas priuatas quas suscepissent simultates facerent. Annus itaq. istis literarũ cõcertationibus ita transierat, vti domi grauioribus indies odiis in aperta dissidia factionesq. res erũperet. Gallia (vt ostẽdimus) Duce Guisio in eã sese spem erexerat, vti hostib. deletis ad veterẽ regni gloriã redituracrederetur, at ferre eã rerum felicitatẽ sęculi calamitas nõ poterat. Lutetia profectus Guisius Aureliąs hostilis *Gallia status.*

imperij ſedem non dubia expugnandæ vrbis ſpe tentabat. Admirallus ad quem Condeo capto res redierat, per Ioannem Poltrotum qui ſe tráſfugiſſe fide optima Guiſio mentiretur, inermem vno atque altero comitatum à tergo tribus vno ictu globis Guiſium confodit, eo rerum euentu, vti ſicarius Poltrotus concitatiſſimo equi curſu totam ita noctem furiis agitatus diſcurreret, vti manè eodem quo diſceſſerat loco comprehenderetur, turpiſſimique parricidij, diſtracto corpore equis in diuerſa agitatis, pœnas exolueret. Contrà Guiſius, animo ad pietatem religioſè compoſito, liberis de officio commonitis, optimis præclariſsimisque patriæ ſtudiis, ſumma animi tranquillitate, ſexto die pòſt quàm vulnus accepit immoreretur: ſequeretur eam non Galliæ modò, ſed toti orbi funeſtam mortem id nouum Galliæ edictum, quod menſe Martio anno M. D. LXIII. bello compoſito, certis legibus atque locis Caluiniſtas conſiſtere eo Regno ſine Religionis Catholicæ iniuria pateretur. Quæ res magis etiam noſtros homines in ea ſua quam tuerentur ſententia confirmabat, vti vi atque armis malè defendi Religionem Catholicam profiterentur, multaque & hoc Galliæ exemplo, & hac ſua ſocietate, & illis quas oſtendimus ad Regem literis adducti, facere dicereque in Cardinalem acerbè aggrederentur, idque eo ſtudioſiùs, quòd ingenio vehemens atque iracundus Cardinalis obdurato animo omnes eos ſuos hoſtes palàm contemneret. Plurima itaque omnibus locis conuiuia, inter pocula varij pu-

blica-

blicarum grauissimarumque rerum sermones, multæ imperitorum hominum iræ, multæ comminationes, complures per speciem vel nuptiarum, vel funerum, vel qua alia priuati officij ratione nunc in hanc, nunc in illam vrbem conuentus. Longum est singulorum eorum conuẽtuum, conuiuiorumque recordari, neque tam est ea res facilis, vt explicari paucis possit, neque enim vnius alicuius publici studij societas coiërat, sed singulorum ita animi Cardinali eam quã haberet in Rep. dignitatem inuidebant, vti non illam vni alicui sociorum, sed vel sibi, vel nulli certo aliquo iudicio exoptarent. Nullius enim rei tam vel fucata, vel lubrica, vel iis ipsis qui ea animo tenerent incerta, atque ambitionis consilia existunt: fit enim necessariò vt quos vel honorum vel existimationis vel dignitatis paulò ambitiosior cogitatio semel inuaserit, iis vti omnium etiam occultissimorum competitorũ suspecta cõsilia existant, veras amicitias vel nullas, vel nisi cum dissimillimorum studiorum hominibus suscipiant: & vt in tenebris, sic ad omnẽ rumorem palpantes oberrent, hostibus blandiantur, amicis calumniam faciant, nunquam secum atque domi, alienis ædibus atque lingua salutem perpetuò metiantur. Intricata adeo res est ambitio, quam discernere à magno & generoso animo perquàm difficile existat. Ambitionis reos faciebat Orangiũ atque socios Cardinalis: Cardinali contrà Barlaymontioque id crimen referebat Orangius. Ardua quæstio. Certè si quis me Romæ eius controuersię iudicẽ Prætor dedisset, *Ambitionis mala.*

 næ

næ ego iuratus eam ſententiam dixiſſem, tolerabilis &(vt ſunt hominum mores) honeſtæ ambitionis rationem Orangium ſociosque nullam tenuiſſe. Erant itaque intempeſtiuis ſermonibus atque rebus plena noſtrorum procerum conuiuia, è quibus illud equidem commemorari à nobis oportet, quod certiſſimum ſuſceptæ coniurationis teſtimonium continere eſt exiſtimatum: Cœnabant apud Caſparum Schetum ſupremum ęrarij Regij, ſeu, vt loquimur, Finantiarum Quæſtorem, Egmondanus, Bergenſis, Montigneus, atque eius Ordinis homines nonnulli: Inter pocula exoritur is ſermo, vt ſublata ea veſtium ſignorumque diuerſitate, qua ſingulorum miniſtri de more diſtinguerentur, vnum aliquod veſtis genus, veſtisque vnum aliquod ſignum ſumendum diceretur, quo omniū in vniuerſum miniſtri vterentur: Multa adferuntur, cur hoc quod proponeretur, placere conſilium oporteret. Vnum quærebatur, cuinam potiſſimùm id tribui oporteret, vti veſtem ſignumque præſcriberet: ſortito eam controuerſiam placet definiri: tribus itaque iactis aleis Egmondanus eam prouinciam ſortitur, veſtes nigras è panno laneo, ſignum ad manicas cucullos morionum ex imperio deſignat. Paſſim itaq. per ſartorum officinas plena hiſce veſtibus vniuerſa, vulgo ita rem interpretante, vti ſocietatem profiteri hoſce proceres in Cardinalem affirmaret, qui appenſum humeris cucullum geſtaret, & vt delirā, ſic contemnere præ ſe Belgij nobilitatem conſuêſſet. Non placet Parmēſi inſtitutum,

*Procerum ſymbola. teſſeraque*

inde-

indecorè ab iis stultitiæ notas assumi, quos prudentia modestiaque commendari in publicum oportebat: Futurũ quoque affirmat, vti pessimo exemplo susceptã cõiurationem homines arbitrentur: respõdet Egmondanus, vnã se suosq. collegas societatem spectare, quæ aurati Ordinis instituto, agnationũ necessitudine, Regis publicarumq. rerum studio cõtineretur; sumptus qui impendi ministrorũ vestibus permagni cõsuêssent, nigris sese laneis vestibus designandis vitauisse, si nota minus probaretur, aliã sese quæ reprehendi nõ posset, esse designaturũ. Cucullis itaq. relictis, colligatũ sagittarũ fascem proponit, siue ea (vti videri volebat) ratione, quòd hoc vti symbolo Reges Catholici numismatib. solerẽt: siue (quod vulgo credebatur) vti inuictos futuros collegas, neq. Cardinali cessuros profiteretur. Suscipiunt itaq. hãc (vti ferebatur) cõiurationis tesseram cõplures, eo bonorum virorum metu, vti eruptura eam animorũ indignationem in grauiorem aliquem motũ arbitrarẽtur, eò iam re progressa, vti cum quodã Villetta Burgũdo de Cardinale trucidãdo suscepta cõsilia incertis hominum sermonibus dicerentur. Mense item Decemb. an. M. D. LXIII. quo prouinciarũ comitia de pecuniis cõferendis Bruxellã erant indicta, adfuturos se Parmensi ad Ordines rem referẽti, si adesse iis comitiis Cardinalem contingeret, palàm Orangius sociiq. eius nõnulli negarent, rem eam id sequeretur, vti & Mechliniæ, qua tũ fortè vrbe Cardinalis existebat, comitiorũ diebus permaneret, & comitia nullo cũ fructu citissimè dimitterentur.

Cùm itaque diuturniorem iam moram ferre ea dissidia non pòssent, neque Rex iis literis, quas ostendimus, sententiã explicare diceretur, Armenterium hominem Hispanum (quo rebus priuatis Secretario vtebatur) in Hispanias Parmensis transmittit, eãm legationem id consequitur, vt Armenterio reuerso, fratribus Chãtonetto gallica legatione defuncto, & Champaigneo comitatus specie priuati officij in Burgundiam mense Martio anno M. D. LXIIII. Cardinalis proficisceretur. Et quidem annus tertius & sexagesimus supra millesimum quingentesimum, libellis famosis, atque istis, quas ostendimus, literárum atque rerum concertationibus hunc in modum transierat, memorabilis Galliæ illa quam dicebamus cæde Guisij, pace Aureliana, vrbisque maritimæ Hauręgratiæ deditione. Tulerat (vti ostendimus) suppetias Hugenottis Angliæ Regina, vrbemq. istam Hauramgratiæ ab Hugenottis fiduciaria possessione acceperat: bello itaque Aurelijs composito, cùm pręsidiúm deducere ea vrbe Regina recusaret, iunctis copiis consiliisque redire in suam insulam Duce Connestablio Comitem VVarnici Catholici [illegible] Hugenotti coëgerũt. Memorabilis quoque toti orbi Christiano iste annus sacrosancto atque œcumenico concilio Tridentino, quod à Paulo tertio, Iulio tertio Pontificibus inchoatum, à Pio quarto mense Ianuario an. M. D. LXII. restitutum, rebus controuersis sanctissimè definitis, vetereq. Ecclesiæ disciplina restituta anno M. D. LXIII. mense Decembri est dimissum: Memorabilis postremò

*Armenterius in Hispanias proficiscitur.*

*Cardinalis Belgio discedit. Anni M. D. LXIII. finis.*

*Cõcilium Tridentinum.*

ſtremò Belgio, & his quæ oſtendimus ſummorum in Rep. virorum diſſidiis, & elephante immani bellua à Rege per Belgium ad Maximilianum Regem Romanorum in Germaniam tranſmiſſo. Acciderat illud quoque eo anno, vti cum viris eruditis, peregrinis domeſticiſque varia de Religione, de Rep. conſilia noſtri homines ſuſciperent, quo in genere vnus quo cum ſæpe multùmque deliberarent, erat Franciſcus Balduinus Atrebas I. C. cuius iis temporibus erat percelebris per Gallias fama: Hic adoleſcens de hæreſi poſtulatus in Gallias conceſſerat; hinc Caluino nouæ factionis principi familiaris effectus, totum ſe huic vni tradiderat, in Franciſcum Duarenum Iuriſcóſultum de ſacris Eccleſiæ miniſteriis ſcribentem libris inuectus, ingenium (quod præclarum à natura acceperat, cultiuſque doctrina ſtudioque effecerat) totú ad eius ſectæ defenſionem ita contulerat, vti eo perquàm familiariter Caluinus vteretur, cum illo poſtremò (quod facere ob Catholicos ſeſeoppugnantes erat neceſſe) legendos ſibi veteres Eccleſiæ ſcriptores Caluinus ſumeret. Hoc illorum ſtudio id euenerat, quod ego ex Balduini nepote (qui ſe illud porrò ex Balduino auunculo cùm id Sainctio Epiſcopo Ebroicenſi, & Eſpenſio Theologo narraret, audiſſe commemorabat) ſæpius intellexi, vti Caluinus, qui nouam nouę Religionis formá, ſiue vti volebat, Euágelium reſtituere antè ſeſe agreſſum fatebatur, quàm veteres illos, B. Auguſtinum, cæteroſque inſpexiſſet, veterum iſtorum ſcriptorum lectione ſæpenumerò

Frãciſcus Balduinus Iuriſconſultus.

Balduini & Caluini ſimultates.

numerò turbaretur, neque qua se ratione è tanta auctoritate explicaret, cogitando inueniret, discedere nihilominus à re semel suscepta, tot hominum applaudentium studiis cōprobata, ea ratione nollet, quòd istos esse næuos illorum sanctissimorũ hominum profiteretur, quibus eluendis operã præstare sese oporteret. Cōtrà Balduinus illorũ auctoritatem cum Caluini auctoritate cōpararet, multaq. animo meditaretur, cur grauissimarum summarumq. rerum, non vnius, sed omniũ omnino Catholicorũ hominum, nō corruptis, sed præclarissimis Ecclesiæ tēporibus, nō dubia, at certa iudicia inter næuos deputari nullatenus possent: In eam quoq. cogitationem ingrederetur, vti pluris tot retro annorũ Ecclesiã arbitraretur, atq. illius hominis essent inuēta, qui nemine prçeunte à se vno tantarũ fuisset rerum initia auspicatus. Inculpata quoq. illorum hominũ vita miraculisque ita moueretur, vti qui toti orbi deiecti Euangelij præclarissimam çelitùs demissam nouam esset facem prælaturus, aliis eum atque Caluinum moribus vitaque futurum fuisse profiteretur. Subortæ itaque sunt inter Caluinum & Balduinum nonnullç initio animorum, pòst etiam verborum literarumque simultates, ita vtriusque dissidentibus studiis, vti Caluinus in instituto permaneret, Religionemque Catholicam totam, quanta est, doctrinam dæmoniorũ profiteretur: Contrà Balduinus ea moderatione vteretur, vti restitui ex veteris Ecclesiæ sententia nonnulla postularet; hanc illam nostram nihilominus quam Caluinus grauissimorum criminũ

ream

ream faceret, ita Dei Ecclesiam esse profiteretur; vti si ea Ecclesia non existeret, per tot retro sæcula nullam toto orbe fuisse Dei Ecclesiam fateri sit necesse. Atque hæc vt maximè hunc in modum Balduinus affirmaret, eorum quoque sępe recordaretur, quæ beatus Augustinus in Donatistas hac ipsa de re præclarè dixisset, eum se nihilominus gerebat, vti & varia in Religionis Catholicæ vsu publico desideraret, & Catholicos ita sequeretur, vt nec à conuictu, nec à libris Lutheranorum & Caluinistarum abstineret. Flagrabat, vt ostendimus, iis temporibus grauissimis bellis Gallia, multiq́ue ex gehenna, Geneuam aiebam (facilè hic erratur) in Galliam dimissi homines omnia isthic insanis motibus complebant. Reuersus itaque è Germania, vbi annos quatuor fuerat commoratus, eo Galliæ statu Balduinus, cùm in Cardinalis Lotharingi amicitiam transiisset, Principē Biarnensem ab Hugenottis auertisse diceretur, librū Georgij Cassandri de officio pij & publicæ trāquillitatis verè amantis viri in hoc Religionis dissidio in Gallias attulisset, omnium in se Hugenottorum odia facilè concitauit. Ludouicus Nassouius Orangij frater, profitentem Balduinum Heydelbergæ audierat: multa itaque fratri Orangio, cæterisq. commemorare de Balduino solebat, tantumq. eius studium nostris faciebat, vti hunc sibi dari consultorem summopere exoptarent. Philippus à Sancta Aldegonda Dominus Noircarmij, Egmondano cæterisq. perquàm familiaris existebat, multumq́ue eius consilio

atque

atque opera ita Egmondanus atque Marchio vtebantur, vti nisi eo consulto rem grauiorem nullam constituerent: per hunc itaque persuadét Duacenatibus, vti Balduinum è Galliis Duacum accersirent. Archiepiscopus Cameracensis cognatione ad Marchionem attinebat, ostendit rem Cardinali Lotharingo Cameracensis, venit itaque in Belgium Balduinus, sententiáque rescissa, quæ in absentem à supremo Artesiæ tribunali fuerat pronúciata, Bruxellam proficiscitur: Orangius clàm silua Iunia remotis arbitris cum Balduino deliberat, arridet Orangio cæterisque Balduinus, res vna moratur, quòd vti suspecti hominis consilio palàm non permitteretur. Placet itaque vti vel Louanij, vel Duaci Balduinus ius profiteatur, quoad in Senatum se procurante à Rege adlegi contingeret, vltra Academiæ stipendium in annos singulos pecuniam à se acciperet. Donatus itaque ab Orangio, Egmondano, Hornano & Marchione torque aureo sexcẽtorum florenorũ in Gallias breui rediturus Balduinus discedit. Balduinus in ea erat sentẽtia, vti veterem edictorum seueritatem leniendam profiteretur, auctorque nostris hominibus existeret, vti Regi libello rem ostenderent, quin Viglio & Ioachimo Hoppero probaturũ sese affirmaret; retinere ea ratione Ecclesiæ auctoritatem neque veteres consueuisse, neque iis quæ nunc essent temporibus diu posse: plurima quoque omni sermone Balduinus adferret, quibus satisfieri diuersis hominum studiis posse crederetur. Quæ res eo nostris proceribus gratior existebat, quòd

neque Inquisitorum, Theologorumque acrimoniam, neque Caluinistarum nimium (vti aiebant) vehementes animos pati sese posse profiterentur, Orangius cumprimis, qui vxorem sororesque Luteranas Missæ adhibebat, Luteranas nihilominus sermone atque vita reliqua esse pateretur. Venerat quoque in Belgium is quem ostendimus Cassander, & eiusdem studij alij nõnulli, sed qui ab ambitiosis aulæ studiis longè abessent, citoque vnde venerant domum reuerterentur, contrà atque Balduinus, qui eruditione studiisque ita vteretur, vti lubrica atque infida maximarum rerum negocia, summa ingenij atque morum dexteritate libenter versaret. Anno itaque (vt ostendimus) M. D. LXIIII. Mense Martio in Burgundiam Cardinalis discedit, supremamque ecclesiastici muneris, priuatarumque rerum curam Maximiliano Morilono Præposito Ariensi relinquit, qui iampridem vnà cum fratre Antonio (cuius dum viueret magna atque ea percelebris eruditio extiterat) in Cardinalis amicitiam familiamque transierat, magnamque ea ratione auctoritatem apud Cardinalem inuenerat, quòd prudentiæ atque eruditioni singulare in se studium atque indefessum in rebus agendis laborem coniunxisset: quæ res eam Morilono inuidiam concitauit, vti quos Cardinalis eosdem & ipse libellis sermonibusq. hostes haberet, ab officio nihilominus tam non discederet, vti difficillimis Reip. temporibus dignitatem atque existimationem egregiè fortiterque tueretur: inde virtutis constantiæque suę merito

*Maximilianus Morilonus.*

merito Petro Pintaflourio defuncto Episcopatum Tornacensem acciperet. Et quidem Cardinale profecto nihilo res quietiores. Licet enim in Senatum venirent, Parmensem multò quàm antè maiore studio officioque obseruarent, liberatos hoc se suæ dignitatis æmulo gratularétur, Parmensem in libertatem sese asseruisse gloriarentur, Armentetio perquàm familiariter vteréntur: Manebat ea nihilominus animorũ offensa, vt Remp. Cardinalitiis cõsiliis administrari quererentur; dicis causa ordinũ comitia de pecuniis rogari, de rebus grauissimis cęteris quibus Reip. salus contineretur, ad comitia non referri: de seueritate Regiorum edictorum tam nihil remitti, vti contrà ad animos exacerbandos Cõcilium Tridentinum multis Regis literis atque edictis proponeretur, miseri ad supplicia raperétur, Inquisitióque sæpius repeteretur, Viglium, Barlaymontiúmque pro arbitrio rem gerere, leges Cõcilio Priuato nouas indies cudi, Finãtiis quæ vellet Barlaymontiũ constituere, inanem dignitatis speciem magno sese opprobrio difficulter tueri.

*Cardinale profecto noua Procerũ querimonia.*

Cõntrà Viglius Parmẽsem occultis sermonibus reprehendere, plus eam ambitiosis hominibus tribuere quàm oporteret, quibus de rebus referret, res eas vniuersas: Parmẽsem concilio Status periculoso in posterũ exemplo agitãdas proponere: Ea re id accidere, vti ambitione atque odio éfferati homines, & cæterarũ rerum omniũ pertinere ad se cognitioné profiterẽtur, & de rebus propositis non tam iudicio quàm libidine sentẽtias dicerent, Armenterij venalem esse auaritiam, multa

*Vigliíque timonia.*

multa permitti quæ rectè constituta Rep. non oporteret, hominem peregrinum qui auctoritatem in Repub. a Rege nullā accepisset, adhiberi publicarū rerum negociis nō debuisse, cauisse id prudenter Reginā Hungariæ, minùs accuratè Ducem Sabaudiæ, qui Abbati Filiano, & Comiti Stropiano plus ęquo tribuisse diceretur, optâsse Armenterium, vti à Belgio Cardinalis abesset, quòd maiorem eo absente quiduis agendi habiturum sese libertatem intelligeret. Noua itaque non tam personarū quàm tribunalium ea dissidia sunt exorta, vti Orangius cæteriq. tollendam è Rep. trium istorū tribunalium, Status, Priuati, & Finantiarū distinctam quam ostēdimus iurisdictionem profiterērur, vnumq. aliquem supremum Senatū constitui oportere affirmarent, qui vniuersam, non vnam aliquā Reip. partē procuraret. Omnino, si seditiones exoriūtur, si de statione præsidiisq. milites decedunt, si munitiones atque arces ruinam faciunt, vnis sibi eam culpam tribui, quam præstare eos minus oporteret, qui neque legibus ferendis interessent, neque de Religione curanda rogarentur, neque ærarij rationes tenerent. Necessariò itaque eum ordinem instituti oportere, vt viris excellente prudentia in Senatum adlectis, de rebus tam inter se connexis, non diuersis, sed vnius Senatus atq. Curiæ sententiis videretur. Negotia quæ iustitiæ dicerentur, vel ad Mechliniēse, vel ad Prouincialia tribunalia remitterentur, cætera quæ gratiæ existerent, quæque minorem supremi imperij curam flagitarent, quàm vt tractari eo supremo Senatu

*De immutādis tribunalibus Status, Priuati, Finantiarum noua consilia.*

Senatu oporteret de rebus iis cum vno atque altero assessore Præses Concilij Priuati videret, de ærario Regio, deque tota Finantiarum ratione supremus hic Senatus cognosceret, res minutiores quæ non tam Senatus auctoritatem quàm vnius aut alterius operam flagitarent, eas Senatus pro arbitrio duobus aut summùm tribus ordinariis delegatis examinandas relinqueret. Contrà Viglius ambitiosè eo studio rem istam proponi affirmabat, vti suo iudicio quos vellent homines in eum à se inuentum Senatum cooptarent, omnemque ea ratione ad se Remp. conuerterent. Si Parmensem ab vno aliquo istorum tribunalium arceri contingeret, si non illi vnus hic existeret Senatus, qui cum modò seorsim, modò cõiunctim pro arbitrio deliberaret, omnino legitimam Parmensem querelam habituram fuisse, si præstare aliena consilia atque culpam cogeretur: non pertinere ad istos homines supremam rerum Belgicarum curam, suam quam accepissét si præstarent, extra culpam futuros. Cùm itaque ista ratione cõfundi tribunalium deliberationes cœperunt, tum plura indies nouatũ rerum consilia proponi cœperunt: Concilium Tridentinũ sine Regis, sine certa priuilegiorum iniuria, sine Reip. magno periculo promulgari non posse: Præposito Sancti Donatiani Brugis cœterisque in vniuersum clericis, omnẽ quæ diceretur prophanam iurisdictionem auferri debere; confiscationes Regias vel tolli vel minui oportere. Ludouicus Nassouius Bruxellę (vti ostendimus) iis temporibus existebat, is qua erat ætate, quo ingenij

*Ludouicus Nassouius Orãgij frater.*

genij feruore, quo in peregrino imperio obseruantiæ minus studiosus, de rebus nouandis multa quotidie cum Luteranis & Caluinistis consilia versabat, tamen quòd (vti scribere atque dicere solebat) tot essent toto Belgio Nicodemi, qua se ratione explicaret difficulter inueniebat. Franciscus Balduinus in Gallias redierat, neque vt in Belgium ad diem constitutum reuerteretur adduci ea ratione poterat, quòd, vt dicere solebat, ita nostri homines rem gererent, vti tumultuariè priuata odia, non etiam Remp. certo aliquo ordine administrarent; vrget nihilominus Ludouicus, multisque vltro citroque per internuntium VVaelseum arcis Cameracensis præfectum transmissis literis, cum Balduino & de Rep. & de Religione ita agere instituit, vti si donari hominibus vsum calicis, matrimonium sacerdotum, & doctrinam de Iustificatione contingeret, omnes quieturas controuersias profiteretur. Quod vt maximè ita Ludouicus faceret, multisque sæpe literis de reditu Balduinum cōmonefaceret, varijs nihilominus de causis fiebat vti Orangio cœterisque minus quàm consuêsset Balduinus iam probaretur. Cuius equidem mutatæ voluntatis duæ rationes existebant, prior, quòd grauissimis odiis ita à Caluino atque Beza dissentiret, vti istorum concertationibus atque libris Europa, omnibus Academiis, doctorūque hominum sermonibus personaret. Altera, quòd multis vltro citroque à Condeo ad Cardinalem profectionibus suspectam suam Orangio fidem efficeret: quæ quidem res posterior erat huiusce modi:

cemodi: Balduinus à Cardinale atque eius fratre Guiſio Antonio Borbonio Nauarreo, quem dicebamus, ita fuerat commẽdatus, vti dedicatum ſibi à Balduino librum, qui vniuerſæ hiſtoriæ inſtitutionẽ contineret, perhumaniter Nauarreus acciperet, filium nothum Balduino traderet, legatum eum Tridentum ad Cõcilium pro ſe mitteret: Inde mortuo breui pòſt ad Rothomagum Nauarreo, reuerſus Tridento Balduinus Cardinali Borbonio, & principi Condeo cum fratris Nauarrei in ſe ſtudio, tum ſuis ſeſe moribus facilè probat. Cùm itaque iis temporibus Caſparis Collignei Admiralli neptem vxorem Condeus amiſiſſet, tum id cogitare ſecũ Balduinus incœpit, præclaram ſeſe regno Galliæ operam eſſe præſtiturum, ſi eo matrimonio diſſoluto, quod traxiſſe Condeum in ſtudia diceretur, certam aliquam nouo matrimonio rationem inueniret, qua coaleſcere affinitate in nouam amicitiam Condeus atque Guiſij poſſent: Condeo ſorores erant duæ, Abbatiſſæ ambæ, vna Renata Borbonia Chellis, haud longè à Lutetia, quæ fratri Cõdeo, altera Sueſſionis, quæ Cardinali Borbonio charior exiſtebat: ad iſtam itaque Chellenſem Balduinus proficiſcitur, oſtendit quanti interſit vti frater Condeus cum Guiſiis in gratiam reuertatur, oportunè vxorem fratrem non habere, eſſe Cardinali Lotharingo neptem Reginam Scotiæ Regis Franciſci viduam, honeſtiſſimas eas, ſi impetrarentur, Condeo futuras nuptias. Probat conſilium Renata, fratrique rem proponit: Cõdeus ſiue regni cupiditate, ſiue quo erat facili

*De Guiſiis & Condeo in gratiam redeũdis conſilia.*

ingenio

ingenio conditionem accipit, Balduinum ad amitam Antoniam Borboniam Cardinalis matrem Iouuillæ commorantem tranſmittit, inde rurſus Balduinum Antonia ad Cardinalem filium, Reſpondet Cardinalis gratiſſimam ſibi Principis amicitiam futuram, neque vllam tam ſe rem votis optare, atque vt iſta ratione concordia ſuſcipiatur. Quòd de nepte Regina proponeretur, vereri ſe vti illa cognatorum iudicio nubere abſque regni comitiis ſententiaque vlli poſſit: ſi quam aliam tota gente Lotharingica Princeps poſtularet, libentiſſimè iis ſeſe nuptiis procurandis operam eſſe impenſurum. Accipit excuſationem atque officium Cōdeus, Cardinali Sueſſionis apud ſororem diem conſtituit, adeſt ad diem præſtitutum vnà cum Duce Guiſio nepote Cardinalis: Condeus, per filium Marchionem Contij Senarpontium & Ienliſium, morbo impeditum venire ſeſe non potuiſſe oſtendit: dilato itaque colloquio tota Gallia rumor nouæ amicitiæ concordiæque increbreſcit, ferre id ęgerrimè Admirallus, Galliæque Mariſchalcus Montmorantius, qui Pariſios imperio regebat, & à Guiſiis grauiſſimis ſimultatibus diſſidebat: Cardinalis venturum ſe Chellam ad Renatam conſtituerat: opportunè itaque eam nactus occaſionem Mariſchalcus paulò antè quàm venturum Lutetiam Cardinalem intelligeret, qui quinque & viginti armatis equitibus comitatus obequitare conſuêrat, lege Pariſiis cæteriſque imperij ſui locis promulgata,

*Cardinalem Lotharingum Parisiis Montmorātius inuadit.*

armatos incedere per suam præfecturam homines vetat. Cardinalis, quòd Regis auctoritate eo suo præsidio insidis Galliæ temporibus vteretur, ad se pertinere hoc illud Montmorantij edictum non arbitratur, rectà itaque quo consuêsset comitatu, vnà cum nepote Guisio Sanctum Dionysium contendit. Marischalcus re intellecta vnà cum Principe Portiano, collecta lixarum calonumque magna manu, quòd inuenturum se in itinere Cardinalem arbitraretur, domo discedit: verùm quod solito maturiùs Sancto Dionysio Cardinalis discessisset, factum est vt intra vrbem vico Dionysiano Cardinali sese offerret, atque eo loci vi armata, eo euentu Cardinalem aggrederetur, vti Cardinalis atque Guisius (qui pedites ob glaciem in vrbem fuerant ingressi) in obuiam sese mercatoris domum, inde ædibus aliquot perforatis in ædes suas Parisinas Cluniacenses conferret, manus ita cætera turba consereret, vti aliquot cæsis in amplissimæ vrbis conspectu grauem Presbyterum atque puerum vim pati fuerit necesse. Turbata itaque hunc in modum profectione, cùm domi ęgrè se totam eam diem atque noctem fuisset tutatus, porta Sancti Germani Mendonum clàm Cardinalis discedit: vnde cùm nisi transmisso Sequana Chellam venire non posset, Moncheum Balduini nepotem ad Renatam Abbatissam pro se mittit. Quę cùm isto modo accidissent, neque vllus tota Gallia existeret, qui non etiam rem eam grauissimam maximique esse momenti arbitraretur, multaq; essent de ista vi armata libris à Guisiorum Montmoran-

morantiorumque ſtudioſis in vulgus prolata, tum id eſt ſecutum, vti concordiæ ſpe ſublata nouis nuptiis Ducis Longouallij ſororem vxorem Condeus duceret. Iſtis itaque duabus rationibus multùm Balduino de ſua apud Orangium, apud Hornanum, & Montigneum, Montmorantios, gratia deceſſerat. Cùm itaque Cardinale profectò multa hunc in modum ab his malitioſè, ab illis arroganter, ab iſtis imperitè committerentur, Concilium Tridentinum non ſpecie religionis, ſed aliis quibuſdã de cauſis initio recuſaretur, inde certis conditionibus promulgaretur, ſuprema Regis tribunalia tentarentur, hæretici audaciores indies in vulgus ſermones proferrent: acceſſiſſet, vt Antuerpiæ ob quendam Chriſtophorum Smetũ, qui de hæreſi ſententiam accepiſſet, ita fuiſſet tumultuatum, vti carnifex qui alligato ad palum Chriſtophoro ignem ob irruentem populum ſubijcere non potuerat, fugiẽs accepto pugione damnatum confoderet, magiſtratus lapidibus è foro pelleretur, pſalmi toto foro atque vrbe palàm cantarentur, totumque eum diem atque noctem inſequentẽ occluſis tabernis tota vrbe grauiſſimo metu trepidaretur, tum id fuerat ſecutum, vti ex iis quos anno ſecundo & ſexageſimo in Cardinalem amouendum conſenſiſſe dicebamus, à cæterorum ſocietate nonnulli diſcederent: quæ res vt maximè noſtros illos homines commouiſſet, ægerrimeque id tuliſſent, quòd Marchione Bergenſi neglecto Ducem Areſchoti in Senatum Concilij Status Rex cooptâſſet, tamen quòd perexiguã

*Antuerpiæ ſeditiones.*

*Procerũ inter ſe diſſidia.*

penes nobilitatem, Croiorum, Barlaymontij, eorumque quos à se Barlaymontius, vel quæ aliæ causæ abduxissent, auctoritatem existere profiterentur, plurisque officij sibi rationem quàm Cardinalitiorum hominum ambitionem esse affirmarent, abduci à susceptis semel studiis consiliisque minus poterant. Et quidem de Croijs ad societatem pertrahendis difficilis cumprimis res existimabatur, siue (vti homines ferebant) quòd inter Croïos & Nassouios perpetuæ de familiæ dignitate contentiones existerent, siue (quòd magis credo) quòd infida consilia, neque Duci, neque fratri Marchioni probarentur: qua ratione fiebat, vt qui nobiles Orangium, cæterosque eius studij homines obseruarent, nouisque eos Dominij, Excellentiæ, vel qua alia ignota Romanis auribus compellatione salutarent, ijdem neque Croijs eos titulos, neque parem quàm cæteris obseruantiam vulgò tribuerent, quæ res exulceratis animis molestissima accidebat eo rerum periculo, vti (ni Parmensis cauisset) in subitos grauissimosque fuerit motus res eruptura: cuius equidem rei vnum libet exemplum commemorare. Quieurangij haud longè à Valenciana in Hannonia, cœnabant apud Ducem Areschoti Episcopus Tornacensis, Comes Bossuti, Dominus Simmerij, atque vnà quidam Carolus Reuelius Dominus Audrignei: ibi Dux, cùm in eum sermonem incidisset, habere se in Brabantia vicinos suis filiis aliquot Leodienses, duos item nobiles, Isquium & Dionium, qui fe-

*Croiorum & Nassouiorum simultates.*

ras

ras ſibi interciperent, commemorat: Reſpondet Audrigneus, non facere id Dionium, cui tam eſſet oportuna venatio, atque eſſet illa Heurienſis, quam turbari ſibi a Dionio Dux quereretur, repetit idem ſæpius Audrigneus. Quin tu tua, inquit, cura Audrignee, aliena nec æſtimari, nec comparari à te bona eſt neceſſe. Offendit ea res Audrigneum, Dux diſcedere de menſa iratum Audrigneum nolebat, oculis itaque in eum coniectis, cyathum poſtulat, Audrigneus ſuſpicatus quòd res erat, futurum vti ſibi Dux propinaret, cùm nudo antè capite menſæ aſſediſſet, galerum poſtulat, tectoque inde capite, compoſito ad iracundiam ſermone atque vultu conuiuium conturbat. Menſis itaque ſublatis. Quæ tàdem, inquit Dux, iſtius tibi vultus atque ſermonis cauſa? Reſpondet cùm cætera arroganter, tum illud acerbè Audrigneus, neſcire ſe quánam in poſterum ratione atque voce compellare iſtos proceres conueniat, Dominíne an Excellentiæ, an Altitudinis, an veteri voce, Vos: Vbi tum Dux commotior: Neque tu, inquit, neque tui gentiles tam ſunt honorati, vti non iis honeſtum ſit futurum, ſi familiæ noſtræ miniſtrare ſe contingat. Non fert eam, vti aiebat, contumeliam Audrigneus, multa queritur, multa cauſatur, plura Quieurangio profectus de tanta rei indignitate omnibus paſſim locis proclamat, ferre eam iniuriam neque ſe poſſe, neque ſuos agnatos debere, vti Arſchotanus tam de ſe abiectè atque indignè loquatur impunè.

Re itaq.cum Guidone à Fiennes Domino Lumbrij deliberata, literas in omnē partem ad agnatos, affines atque amicos transmittit, ostendit quàm nullo sit in posterum loco nobilitas futura, si hanc in se contumeliam semel admitteret, rogare itaque se atque obtestari, vti de re tanta deliberaturi ad IX. Cal. Nou. an. M. D. LXIIII. Bethuniam vrbem Artesiæ conueniant. Legatos quoque hunc istum Lumbrium atque alios Bethuniam mittit, qui habendo frequenti celeberrimoque conuentui curiam à magistratu postularent, necessariaque excipiendis tot hospitibus curarent. Marchio Rentei quòd calculo laboraret, adesse fratri non poterat, tamen quòd rem eā ad magnam suæ gentis contumeliam pertinere animaduerteret, Audrigneum quoq. cęterosque rem tantam sine maiorum veterumque suorum hostium auctoritate non fuisse suscepturos intelligeret, quibus poterat rationibus, literis, cōsilioq.rem curabat. Accedunt itaque ad Arschotanum complures, magnisque ita motibus res agitatur, vti iam iam incertum quo initio, quo euētu, vel re vel verbis pugnaturæ fuerint factiones, si non etiam Parmense imperante, Egmondanoque intercedente, tota ea controuersia cōposita citò extitisset. Quin quæ res imminentem Rebusp. summam vastitatem multis sæpe imperiis atque regnis præcesserunt, vti latrociniis, rapinis, cœdibus infestæ vrbes atq. agri existerēt, id equidem iis temporibus frequētissimum existebat. Cumplures inuentæ sicariorum pessimorumque hominum societates, expilata vi armata multa

*Omina futurorum motuum.*

multa monasteria, direptę ditissimorum hominum ædes, de tentanda vrbe Alosto suscepta cōsilia, ita Brabantiam, Flandriamque eo metu peruagante, vti potentium obæratorum hominum coniuratæ factiones vulgo crederentur, neq. antè de ea opinione cumplures discederent, quàm re deprehensa, de profligatis hominibus ea sunt sumpta supplicia, vti viuis in nudum corpus ardens ex alto pix, inde semiustulatis ignis subijceretur. Cùm itaque in hasce graues querimonias atque rixas absente Cardinalę res transiisset, nec teneri iam diutius rerum quies posse diceretur, proponit Senatui Parmensis: Videre Senatores quanta esset hęreticorum hominum multitudo, quātus magistratuum atque legum cōtemptus, quàm accisæ ærarij rationes, vnam sese cogitando rationem reperire, vti cùm per se minus posset, per Regem restitui rem procuraret, difficulter rem tantam literis explicari: probari itaq. sibi, vti Egmōdanus in Hispanias ad Regem proficiscatur: Rogati Senatores, in eam sententiam omnes discedunt. Parmense itaque imperante, literas, mandataque quę Egmondano traderentur, concipit Viglius eo genere sermonis, vti leuiter nonnulla attingeret, pleraque Egmondano explicanda relinqueret. Relectis in Senatu mandatis sententias eas dicunt plerique: vti sufficere eam formulam affirmarent. Rogatus Orāgius in hanc sententiam proloquitur: Fallimus, fallimúrque, dum istis in speciem obsequiosis sermonibus æquè morbum atq. medicinam dissimulamus, planè atq. ingenuè quod res est explicare

*Egmōdani in Hispanias legatio.*

*Orangij de Egmōdani legatione sententia.*

plicare Regi nos oportet, ferre enim moram res diutius non poteſt: Initio quaſſatam vicinis regnis prouinciiſque Religionem, eam in Belgio accepiſſe iniuriam, vti vetere edictorum quęſtionumque ſeueritate, nouorumque Epiſcoporum instituto ea profligata clericorum vita tenere quam conſuêſſet dignitatem diutius non poſſit, rem iſtam ſimpliciter, nulla verborum ambage explicari Regi debere Deinde, nõ ferre ſubditos prophanorum iudicum intemperiem: eſſe enim plærosque ita corruptos, ita diſsidiis atque odiis infames, vti tenere in officio homines diutius non poſſent, cuiuſcemodi eſſent illæ turpiſsimæ Cancellarij Brabantini, & Conſiliarij Maſij ſimultates. Accedere quòd Regia negocia procurari niſi vno Senatu nõ oporteret: fieri enim iſta Curiarum diuiſione, vti ad ſe ſingulæ rem raperent, totamque iſtis contentionibus Remp. turbarent. Præctereà, legi in Senatum plures prudentes atque magnos eos viros debere, quorum penes populum probata auctoritas exiſteret. Poſtremò oſtendi Regi debere, quàm nulla ratione decreta Concilij Tridentini obſeruari cõueniat: Vicinas eſſe haſce prouincias Germanię, quæ nõ Proteſtantium modò, ſed & Catholicorũ Principum auctoritate hoc illud Concilium grauiſſimis de cauſis recuſaret: Perſuaderi itaque Regi debere, vti cõniuere Parmenſem ad huius Concilij executionem patiatur. Faciendũ id quoque, vti de quęſtionis in hæreſim ſeueritate Rex decedat, Catholicum ſeſe Orangium exiſtere, neq. ab ea ſeſe Religione abduci vllatenus poſſe, probari

bari sibi nihilominus eam Regum consuetudinẽ non posse, vti suo arbitrio atq. iussu hominũ fidem Religionemq́ intra quos velient terminos coercerent. Atque ista Orangius graui oratione, eaq́. verborum prolixitate, vti extracto in horam septimã vespertinam Senatu re infecta discederetur. Viglius dimisso Senatu domum reuersus, quòd eò rem perductam animaduerteret, vti Regij Senatores de summa rerum, de Religione, de vetere Reip. forma noua profiteri consilia auderent, deiectus animo atque anxius totam ita noctem insequentem insomnis variis secum consiliis volutat, vt siue ea ratione, siue qua occulta vi morbi manè de lecto consurgens, inter manus ministrorum apoplexia corriperetur, & venire in Senatum nisi mensibus aliquot pòst restituta valetudine non posset, absente itaq. Viglio auctore Orangio in eam sententiã mandata Hopperus describit, vt à Viglio conceptæ formulæ nonnulla adijcerentur. Atq. iste erat annus quartus & sexagesimus supra millesimũ quingentesimũ memorabilis ea sæuissimæ hyemis inclemẽtia, vti per sex cõtinuas septimanas gelu perduraret, ea glaciei firmitudine, vti ab altero à Natali Domini die vsque ad diẽ Epiphanię Schaldis ad Antuerpiã curribus transiretur, officinas mercatorũ, tabernasq́. ingente cõfluente hominũ multitudine glacies sustineret. Rhenus quoq. atque Mosa grauissimis onerib. onustis curribus transiretur, aqua ad magni pedis, terra ad duorũ & semis pedũ altitudinem frigore stringeretur, minore equidẽ atq. illud fuerat frigus quod an. M.D.XI.

*Anni M. D.LXIIII. finis.*

*Hyemis inclementia.*

à XVIII.

à XVIII. Cal. Decēb. vſque in XII. Cal. Martij perdurârat, cùm currubus Antuerpia in Zuytbeuelãdiam, cæteráſque Zelandiæ Inſulas merces tranſueherentur. Memorabilis quoque iſte annus morte Ferdinandi Imp. cui non Germania modò, quæ eum Principem in Hiſpaniis natum incredibili ſtudio coluerat, ſed totus quàm latè patet orbis Chriſtianus religioſiſſimi præſtãtiſſimíque principis laudem tribuerat. Gallia quoque eo anno edicto Aurelianenſi quieſcebat, finitáque pubertate Caroli Regis tutela, Regéq. vnà cum Regina matre toto regno circũductis ſuſpecta Hugenottis ea profectio ſuſcipitur, qua Baionam ſub initium anni inſequentis, Duce Albano comitata, ad matrem atque fratrem Regina Hiſpaniarum Elizabetha veniret. Mandatis itaque hunc in modum cõceptis, ipſis (ni fallor) Cal. Ian. anni M. D. LXV. Bruxella Egmondanus diſcedit, multi õnibus è locis (ſiue quæ erat Egmondani gratia, ſiue quòd celeberrimi hominis accurata ea legatione omnem priuatarum publicarúmque rerum cogitationẽ collocarent) Bruxellam maiorum minorúmque gentium nobiles conuenerant, ea ira atque animorum offenſa, vt ſi imbutum Cardinalitiis artibus Regis animum à pernicioſis (vti aiebant) conſiliis iſta legatio non abduceret, quiduis ſe facturos clàm minarentur. Celeribus itaque equis proficiſcentem nonnulli in Hiſpanias, plures Cameracum vſque officij cauſa comitantur. Erat (vti oſtendimus) Cameraci arci præfectus VVarluſeus Egmondano, Bergenſi, cæteríſque eius ordinis atq. ſectæ homi-

*Mors Ferdinandi Imp.*

*Gallia ſtatus.*

hominibus multis officiis comprobatus. Ad hũc itaque diuertit Egmõdanus, atque ea vrbe, dum de transitu per Gallias, cæterísque de rebus constituisset, vnum atq. alterum diem subsistit, quod dum facit, multa isthic indecora turpissimaq. hi illi Comites admittunt, quarum rerum memoriam non equidem isto scripto repetiissemus, si non etiam & ad publicarum rerum negotia, & ad hominum in posterum prudẽtiam ea res pertineret. Cœnabant apud VVarluseum Archiepiscopus, Egmondanus, cæteríq. honestissimi ordinis homines cumplures. Egmondanus Archiepiscopum eius vrbis principem officiosè obseruabat, cæterorum omnium non par studium: nonnulli, siue quo vetere priuato odio, siue (qui est pessimorum hominum mos) vt indecorè sese Archiepiscopus haberet; multis atque immanibus cyathis obruere Archiepiscopum conantur: inde incalescente cœna galerum cum Archiepiscopi pileo commutant: atque vnà cum cyatho per conuiuas ex ordine transmittunt. Non fert eam indignitatem Maximilianus à Meloduno, Vicecomes Gandauẽsis Atrebati præfectus, surgénsque de mensa delatum ad se ex ordine pileũ Archiepiscopo restituit. Hinc cibis sublatis postulat vastum quod poculum certus qui cõuiua, Archiepiscopóque id propinat: Respondet Archiepiscopus, paruisse se conuiuarum voluntati dum cœnaretur, cœna peracta non esse sese bibiturum, vrget alter, negat constantiùs Archiepiscopus, ibi tum excandescens recusatus: Sat te, inquit, nouimus, non est cur id te mihi recusare opor-

Egmõdanus Cameraci.

oporteat. Omnino, respondet Archiepiscopus, is ego sum qui cognosci me cupiam, vir honestus, ijs licet frementibus indignantibusque, qui hoc sunt mihi negaturi. Ibi tum offensus conuiua, arreptam argenteam peluim (quæ manibus abluẽdis mensę fuerat imposita) inijcere Archiepiscopo in caput conatur: retinet peluim Egmondanus: quod dum facit, en alter conuiua pugno in frontem Archiepiscopi eliso, pileum de capite deturbat. Archiepiscopus tueri armis se nõ poterat: Egmõdanus compellatus ab Archiepiscopo ingentem vultu mœrorem prę se ferebat, verùm quid facere se oporteat, inuenire se negat, discedit itaque, Vicecomite Noircarmioque deducentibus Archiepiscopus, scripturumque se res eas Regi palàm profitetur. Inde alio conuiuio cùm apud quendam nobilem Blondeum (qui in exercitu legionem VValonicam duxerat) cœnaretur, id acciderat, vti quidam hospiti Blondeo ita propinaret, vti iniecto in vinum multo sale detestari se probroso conuicio Cardinalem profiteretur, rogaretque vti quibus præisset verbis, eisdem cui vellet Blondeus propinaret. Respõdet Blondeus: Cyathis vinoque bene ominari sese consuêsse, Cardinalis nullum esse in se neque maleficium neque beneficium, nolle itaque sese ea conditione bibere: vrget alter, negat constanter Blondeus, reprehendit intempestiuos atque indecoros hominum mores Egmondanus, agitari hospitem ista ratione non oportere affirmat: instant cæteri, tantum sibi tribuere Blondeum non debere, vti pluris suum quàm tot no-

nobilium

bilium, tot optimè in Regem atque patriam animatorum hominum iudicium eum facere oporteat: Non mouet id Blōdeum, tantisq. ea res verborum concertationibus exagitatur, vti non iam conuiuiū, sed conuicium cœna existeret: Digressi modò, Blondeū per internuntios obsecrarent, eādem secum consiliorum studiorumq. societatem amplecteretur, modò, metu iniecto pericula si negaret, permagna ostenderent, per arcē apud milites Archiepiscopo, Blondeoque Cardinalitiis hominibus conuiciarentur. noctes totas perpotarent; vinum recusantibus in lectum infunderent, duo ex eo numero sublatos humeris nudos, cyathos manibus tenentes deferri sese ad militares excubias paterentur. Tanta adeo modestissimorum hominum prudentia, maxima grauissimaq. restituendę Reip. consilia iniri erat necesse. Egmondanus fieri ista equidem dolebat, coërcere nihilominus deuinctus eorum in se hominum studiis minus poterat. Digressus itaq. Cameraco, sequi se, quod constituerant in intimam vsque Galliam, nisi vnum atque alterum non permittit, inde mandatis in Hispania procuratis, vnà cum Alexandro Farnesio Ducis Parmæ filio, mēse Maio Bruxellam reuersus, cum infinita de prę-clara Regis in Belgas voluntate multa cōmemorat; tum Parmensi, Senatuiique legationis suę rationem atque euentum exponit: Velle Regem, vti de iuuentute instituenda, clericorum vita, populi doctrina, hæreticorum postremò pœnis, consilia quibus cum videretur Parmensis susciperet, cæteris de rebus eam esse Regis sentētiam,

*Alexandri Farnesij in Belgium aduentus.*

*Legationis Egmōdanæ euētus.*

vti leges priuilegiaq. quę haberent Belgis relinqueret, præter Religionem Catholicam, legitimum quod sibi officium deberent rem aliam à subditis nullam postularet. Priuatim quoq. nonnullis de Regis aduentu, de propenso illius in hunc atque illum studio, ita multa ostendit, vti recuperatas ea legatione hominum voluntates multi arbitrarentur. Contrà Orangius cæteriq́ue delusum Egmondanũ priuatis in se officiis profiterentur: tum quòd stabiliendo non etiam mitigando Papatui consilia ex Hispaniis attulisset, tum quòd iis quas tradidisset obsignatis literis, contrà, quàm sibi coràm Rex explicâsset, non referri ad Senatum de pœnis, sed animaduerti in captiuos hæreticos vetere iudicio imperaretur: curâsse Egmondanum, vt donatiui quinquaginta milliũ florenorum solutionem acciperet, res priuatas suo commodo curaret, publica nec vidisse, nec ad animum reuocâsse. Senatu itaq. coacto, accersitis è supremis Prouinciarum tribunalibus Præsidibus Flandriæ & Vltratraiecti, Senatore Mechliniensi Antonio Meulenare, adhibitis tribus qui Concilio Tridentino interfuerant Episcopis, Atrebatensi, Iprensi, & Namurcensi, Theologis Rauenstenio & Iansenio, I. C. item VVulmaro Bernarts, Cal. Iunij rem vniuersam Parmensis proponit: Respondet Senatus, quatuor capitibus rem totam posse explicari: Si rationes suscipiantur qua populus Catholicè doceatur: Si seminariis atque scholis posteritati caueatur: Si in clericorum mores studiosè inquiratur: Si postremò in pœnis hęreticorum certa quę modera-

*Solennis à Parmēse habitus Senatus.*

moderatio atque æquitas teneatur, quæ res quibus sit ab eo Senatu rationibus definita, prolixiùs est, quàm vt instituto conueniat. Addit Eytzingerus, qui horum temporum memoriam accuratè descripsit, rogatos Orangium, Egmondanum atque Hornanum, sententias dicere idcirco noluisse, quòd, vt id facerent, mandatum à Rege nullum accepissent. Re itaque hunc in modum deliberata, VI. Cal. Iul. Regi rem vniuersam Parmensis rescribit. respondet Rex XVI. Cal. Nou. Intelligere se quo statu res existerent, non probari quòd de immutanda vetere in hęresim quęstione proponeretur, vnam esse iudicum ignauiā quæ grassari impunè hæreses pateretur, si pericula metuerentur, quæ, & à quibus ea metui oporteret, rescribi sibi debere, vtrumq. sibi curæ futurum, vti & submotis ignauis iudicibus, viri fortes Religionisq. Catholicæ studiosi sufficiantur, atque ea quę ostenderentur pericula cauerentur. De Inquisitoribus, quod esset proximum, velle, vti hoc vtilissimū ac summè necessarium Reip. munus accuratè teneatur, quęstores quibus consuêssent, quibusq. oporteret iuris scripti legibus, de hæresi cognoscant, perexigua quæ dicerentur pericula existere præ iis, quæ sublatis quæstionibus oriri sit necesse: Iubere itaque se vti rem eam summo studio diligētiaque Parmensis procuret, quòd neque Reip. vtiliorem, neq. sibi gratiorem vllam possit. Quod esset tertium, Cōcilium Tridentinum edictis Regiis iam esse Belgis imperatum, superesse vt sacrosancti Concilij legibus pareatur, Episcopis consilium, operam Clericis cæ-

*Regis ad Senatus sententias responsum.*

 terisque

terisque corrigendis Parmensis præstaret. Atque hæ sunt illæ literæ, quibus omnes in posterum calamitates, nobilitatis cõiurationem, populiq. effrenem intemperiem acceptam ferre Orangius cæteriq. eius studij homines consueuerũt. De literis mense Nou. allatis refert ad Senatum Parmensis: Viglius cõstitui ex iis literis nisi Rege denuo cõsulto rem nullam oportere affirmabat: sic enim intelligebat efferatis hominũ animis nullo oblato metu in officio ita homines non futuros, vti contrà quæ incerta atque dubia animo consilia versarent, ea certà Reip. pernicie maturaturos existimaret. Contrà Orangius cæterique ita loquebantur: Fecisse sese hactenus quod officij à se ratio flagitâsset, tot literis, tot legationibus dimoueri à sententia Regem non potuisse, restare itaque vti Regi Parmensis obsequatur, sententiis nõ id quęrat, num fieri rem istã oporteat, sed quibúsnam rationibus quod facere esset necesse, facere oporteret. In eam itaq. sententiã disceditur, vt Id. Dec. literis eam Regis voluntatẽ supremis prouinciarũ præfectis tribunalibusq. Parmensis denunciaret, rationemq. rei curãdæ eam præscriberet, vti quolibet trimestri, delectos ei negotio certos eius prouinciæ homines referre de statu Religionis, Concilijque Tridentini obseruantia ad Concilium Priuatum imperaret. Qua de re sic Viglius narrare solebat, fuisse cùm hac de re sententiæ rogarentur, qui assidenti sibi socio futurũ gratularetur, vt magnam atque insignem breui fabulam Resp. esset habitura. Alexander Farnesius Parmæ Princeps cum Egmondano, vti ostẽdimus,

dimus, in Belgium aduenerat: inde mense Iulio profectus in Portugalliam Comes Mansfeldanus vnà cum vxore Maria Montmorātia, & filio Carolo (quē priore matrimonio ex filia Regnardi Bredērodij susceperat per summa rerum pericula, sæuissimasque tempestates mense Nouēb. Mariam Emanuelis Regis Portugalliæ ex filio Eduardo neptem Farnesio sponsam Bruxellam adduxerat. Erant itaque Bruxellæ cùm ob hasce nuptias (quibus ex Italia pater Octauius intererat) tum ob solennem beati Andreę diem ingēs nostrorum procerum nobiliumque multitudo. Atque hic erat annus quintus & sexagesimus supra millesimum quingentesimum, quo quiescere cętera orbis imperia atq. regna à belli motibus ea ratione erat necesse, quòd eas in annum insequentem seditiones toti Belgio mali dæmones meditarentur, vti sufficere cæteris regnis cōmouendis minus posse crederentur. Erit itaque hîc nobis nostri instituti primus liber, qui fœlici quondam Belgarum genti tandiu postremos ad quietem atque gloriā annos est habiturus, quoad tibi, quod speramus, Serenissime Dux, cæleste numen id est daturum, vt quibus auspiciis Religioni cultum, Regi obseruātiam, populisq. quietem tot per vrbes prouincias que procurâsti, iisdem recuperatis hominum animis, veterem Belgij gloriam omnibus omnino prouinciis te duçe restitutam intueamur.

*Alexādri Farnesij & Marię Portugallica nuptiæ.*

*Anni M. D LXV. finis.*




# DE INITIIS TVMVLTVVM BELGICORVM,

## AD SERENISS^MVM PARMAE DVCEM,

FLORENTII VANDER HAER

## LIBER ALTER.

Secundi libri proœmium.



VLTOS sæpenumero audiui, Serenissime Dvx, qui grauissimorum nostrorum motuum eam causam affirmarent, quòd neque à Rege absente constitui satis commodè res posset, neque tot retro prouinciarum præfecti bene imperandi artē tenuissent: Quin plures etiam audire me memini, qui omnem contrà in subditorum arrogantia insolen-

ſolentiaque culpam collocarĕt: Nonnullos poſtremò, qui illud tritum è Poëta accinerent: Iliacos intra muros peccatur & extra. Adeo eſt id hominibus veluti innatum, atq. vnà cum primi parentis labe hæreditate acceptum, vt malorum cauſas nō in nobis ipſis, ſed in aliis ſemper quæramus; neque dum ſuppliciorum ſummam conſideramus, quibus ſit nominibus id à nobis debitum contractum nobiſcum ipſi ſupputemus: ſed vel fideiuſſorio, vel quo alio nomine alieno magna id noſtra cum iniuria conſtitutum profiteamur. Quod vt maximè ita exiſtat, optimaque ea ſit ratio, vti publicis malis commonefieri homines de ſuis ſeſe culpis arbitrentur, eſt ita tamen, vt in omni publicarum rerum adminiſtratione ſit quædam ſiue in Principe, ſiue in populo, ſiue in vtroque occulta ciuilis ratio, quæ manere æternas Reſp. non patitur. quæ res explicari vno verbo difficulter poteſt. Eſt enim, cùm Principibus iniuriam ſubditi faciunt: eſt cōtrà, cùm Principes officij rationem non aſſequuntur, atque omnem voluntati repugnantem rerū euētum, pœnis imperiique ſeueritate vindicandum ſibi conſtituūt: Eſt cùm ignauia

ad quãuis grauiorem ſubditorũ querimoniam, de vetere inſtituto, de more maiorũ dignitateque decedunt: Eſt poſtremò, cùm ſeriùs quàm oportet, ſubditis Principes obſequuntur, omnemq́. beneficij gratiam tarditate, petentiumq́. improbitate amittunt. Quamobrem neutros, neq. peregrinos homines Belgis, neq. meos mihi ciues iraſci oportet, ſi noſtrorũ temporum hoc iſto libro ea dedecora explicabimus, quibus Religione violata, ſummi imperij auctoritate contempta, grauiſſimis periculis, perditorum hominum ſtudiis, annũ Reſp. laborauit. Eſt enim nimis quàm crudele, ob vitioſos putridosq́. humores corporibus iraſci. Quin poſteris hæc iſta noſtris documento ſunt futura, quàm Catholica Religione neglecta, legitimi Principis obſeruãtia ſublata, teneri rerum publicarum ſalus minus poſſit, quàm illa denique quæ vulgo admiramur, ampliſſimarum vrbiũ faſtum, cultiſſimorum agrorum fructum, ditiſſimorum mercatorum opes, ingẽtem populorum multitudinem, nullo momẽto in extremas rerum humanarum calamitates, in vaſtitatem ſolitudinemq́. Deus conuertat.

Poſtre-

POSTREMO itaque eo quod ostendimus edicto Id. Decemb. promulgato, miscere omnia, vanissimisq. sermonibus turbare hominum animos hæretici incipiunt, esse quandã in Hispaniis crudelissimam quærendi rationem, qua turpiorem tot retrò seculis nulla hominum barbaries inuenisset, eam esse eorum qui quæstionem exercerẽt, arrogantiã, vti cedere iis Regem oporteret: Accidisse cùm fortè verbo quem eorũ Rex læsisset, vti incidi Regi venam, sanguinemq. expiando crimini igne cremari oportuerit: Cæsari morienti ægrè idcirco pepercisse, quòd in Germania cum Lutheranis diu conuersatus labem contraxisse diceretur, istorum hominũ imperio adductum Regem hanc illam Hispanicã Inquisitionem Belgis imponere; nullius tam esse inculpatam fidem, quæ non etiam istorum libidini hæresis sit futura; nulli arcanam familiam, nulli securam domum futuram: quendam esse hominem Hispanũ Alonso del Canto, qui Bruxellam nouis carceribus implêsset, domi fossas, compedes, vincula comparâsset: augent metum libelli, priuilegia commemorantur, calamitatesq. ostẽduntur. Ludouicus Nassouius, Brederodius, nobiles item alij nonnulli cũ Orangio, Egmõdano, Hornano, cæterisque qui vel Senatoriam dignitatem, vel Prouinciarum præfecturam tenerent, modò Montignei nuptiis (quæ in ea tẽpora cum Helena Melodunia inciderãt) modò hoc, modò illo cõuentu deliberationes suscipiunt: Proceres consilio destituebãtur, nec prçter animi indignationẽ rem vllã in cõmune adferebãt, literis, lega-

*Varia de postremo edicto querelæ.*

*Orangij de edicto sententia.*

tionibusque iam esse præclusam viam, paucos sese existere, neque istorum paucorum vnum atq. eundem esse sensum ostendunt. Et quidem Orãgius mense Ianuario huic ad se misso edicto, literis in eam sententiam Parmensi respondet, vti ferre Remp. atque hominum mores Concilium Tridentinum certis quæ essent adiectæ cõditionibus posse fateretur, cætera edicti capita minus posse ostenderet: rogaretque vti cùm sustinere se imminentes motus minus posse intelligeret, decedere se de Hollandię, Zelandię, atque Vltraiecti præfectura Parmensis pateretur. Veniunt quoq. Bruxellam quatuor supremarũ Brabanticarum vrbium delegati, atq. vnà cum Brabãtinæ Cancellariæ delegatis, Inquisitorum iurisdictionem pati se ob certa quæ haberent priuilegia nõ posse ostendunt: multisque ita altercationibus rem exagitant, vti Inquisitorũ iurisdictioni Brabantia eximeretur. Atque hęc contra Inquisitionem. E diuerso multa Inquisitores adferebant, cur satisfacere se suo muneri minus posse affirmarent, literis de officio se commone fieri, Regis voluntatem ostendi, rerum cæterarum sine quibus exerceri iurisdictio nequiret nullam præstari, admonitam ea de re Parmensem in eam sentẽtiam rescribere, vt quídnam se sequi oporteat ex iis Parmensis literis difficulter assequerẽtur. Postulante Helena de Vergi Hannoniæ Seneschalca in certos à Seneschalca delatos homines sese quæsiisse, tam sibi ea questione omnia defuisse, vt neque ad testimonium dicendum cogere citatos testes, neque de reis statuere quicquam potuerint,

*Brabãtinorum quer. le.*

tuerint. Erat itaque iis tẽporibus lubrica omnis de rebus publicis deliberatio, nec facilè quibus rationibus imperij dignitatem tueretur Parmensis inueniebat. Inter nobiles erant adolescentes nonnulli,qui vel Geneuæ, vel qua alia vrbe Germaniæ peregrinas religiones didicerant,deseriq. Galliarum exęmplo quam sequerentur Religionem,non debere affirmarent: ab his paucis coniuratio suscipitur, ita incerta, vt quibus initiis, quid,qua ratione aggredi oporteret,constituere secum difficulter possent. Verùm cùm hæc verbis concepta coniuratio inanis futura diceretur, Philippo Marnixio Domino Sanctæ Aldegondæ dictante, sex vnà secum nobiles fœdus in hãc sententiam conscribunt: Eò rem publicam prolapsam,vt paucorum impietas, inexhausta auaritia,incredibilis arrogantia, studium Religionis Catholicæ, populique salutem ementita,maiorẽ apud Regem fidem inuenisset,quàm vel æquissimi optimorum subditorum postulata, vel prudentissimorum hominum monita potuissent,factum iis pessimorum hominum consiliis,vti,cõtrà quàm Deo, quàm bonis subditis Rex cauisset,eam sceleratam atque impiam Inquisitionem imperaret, quæ diuinis humanisque legibus repugnaret,quam recta ratio hominumque per se sensus abominaretur, quæ omnium retrò tyrannorum, omnium Paganorum atque infidelium barbariem superaret, quæ eam contineret rerum indignitatem, vti diuino nomini ignominiosa, hominibus æquè calamitosa res nulla existeret, sic enim Inquisitione in ęternam turpissimamq.

*Nobiles pauci coniurant.*

*Fœderis seu Compromissi formula.*

seruitutem innocẽtiſſimorum hominũ fortunas atq. vitam addici, vt ſi quem preſbyterũ, vel Hiſpanum, vel quem alium ſcurram accuſatorem inueniri contingat, vna ea ſit ad ſummã calamitatem res ſuffectura. Ea itaq. indignitate cõmotos feciſſe ſe nobiles, ad quos ea cura nobilitatis priuilegio pertineret, vti præclariſſimæ rei ſocietate ſuſcepta, eorum ſeſe impietati opponerent, qui proſcriptionibus cædibusq. optimorum ciuium fortunas ſpectarent. Verbis itaq. ritè cõceptis iurare: Inquiſitionem ſe non publicam, non priuatam, nõ eam quę nominibus Viſitationis, edictorum, mãdatorũmve contineretur, vlla eſſe ratione admiſſuros, quin contrà huic illorum inſtituto tandiu ſe repugnaturos, quoad radicitùs extirpatæ nulla eius eſt in poſterũ memoria ſuperfutura. Iratum ſibi Deum atq. homines precari, ſi vel à fœdere diſcederent, vel ſociis laborantibus ope, conſilio deeſſent: Deum hominesq. teſtari, ſummi Dei honorẽ, Regis amplitudinem, patriæ ſe ſalutem ſpectare, ſeditiones motusq. populares abominari. Addunt poſtremò homines religioſi. Dei viuẽtis creatoris cęli & terrę, omniũq. quę cęlo terraq. continentur, ter ſanctum nomẽ inuocamus, hunc iudicẽ, hunc mentium noſtrarũ cognitorem, hunc illum appellamus, qui quam profitemur eam eſſe noſtrã conſcientiam intelligit, humiliter eum deprecantes, vt gratiam S. Spiritus nobis largiatur, quas res ſuſcepimus eas ad honorẽ ſanctiſſimi ſui nominis, publicam rerum quietem, animarũ noſtrarum ſalutem perducat, Amen. Atq, hæc eſt illa memorabilis nobilitatis coniu-

coniuratio,quæ à mutuis promissionibus Compromissum est appellata, & pòst à Regiis quęsitoribus,publicis iudiciis ad legem Iuliam Maiestatis est relata;suscepta,vti ostẽdimus,ab iis nobilibus,qui neq.dignitatem vllã in Rep. tenerẽt; & pati se summorũ procerum fluctuãtia dubiaq. diutius consilia non posse profiterentur. Fœdere itaq.in eam sentẽtiam descripto, prouincias atq; vrbes,in quas proficiscerentur cõiurati; partiuntur, hinc in sua quisque prouincia apud amicos; apud notos multa dicere,cur necessariò,cur tutò; cur magna cũ laude ingenti patriæ cõmodo suscipi eam societatẽ oporteret:Tentãtur,nullo discrimine,Catholici, Lutherani, Caluinistæ, signa multorum nobiliũ conficta ostenduntur,rumores,literæq.ex Hispaniis, Germania, Gallia, Anglia,multæ cõmemorantur,occulti auctores fœderis Orangius,Egmõdanus,Hornanus,Bergensis,Mõtigneus, Hoochstratanus laudantur: Antuerpiæ,Amsterodami,Busciducis,aliarũ potentium vrbium ditissimorumq.mercatorũ consensus prædicatur: Inquisitionis pericula,nobilissimarũ familiarum iniurię,vrbium vastitates,mercatorum atq.plebis pauperies ostendũtur:affinitates,cognationes, amicitię, nobilitatis officia proponuntur, poculis postremò conuiuiisq. res tentatur.Passim itaq.magna voluntatum studiorumq.dissensione multi nobiles coniurant,tabulasq.consignãt ea animi leuitate,vt nõnulli ne lectis quidem tabulis subscriberent, cęterorumq; qui dicerẽtur iudicio stare se profiterentur. Qua in re ea fuit nihilominus quorundam dexteritas,

vt cùm

vt cùm cœnantibus potantibusque secum coniuratis consensissent, tabulasque signâssent, die postero exhiberi sibi eas tabulas, atq. induci suum nomen armis curarent. Hunc itaque in modum turbulentam atque intempestam iis temporibus Remp. Parmensis habebat, iis rerum motibus, vt veluti Panico timore, sic ad incertos rerum euẽtus, consternatis animis, omnibus locis trepidaretur: Venturus breui magna manu militum auxilio Inquisitoribus, Ericus Dux Brunsuicensis nunciaretur, libelli seditiosi per vrbes varij proponerentur, nouis contrà edictis de officio homines Parmensis commonefaceret, insuetas vrbibus ciuium diurnas nocturnasque vigilias imperaret, consilia postremò de mitigandis Regiis in hæresim edictis, continua haberet. Erant tum per mensem Martium anno M. D. LXVI. Bredę apud Orangium frater Ludouicus, sororis maritus Comes Zvvartenburgij, Georgius Hollius & VVestetholtius Germani, euocatus è Viana Bredenrodius, priuato item officio, quod ferebatur, Hornanus, Megemus, & qui recés à nuptiis Ducis Holsatiæ Regius legatus redierat, Hoochstratanus, atq. vnà fœderati nobiles, Dandelotius, Vilerius, Hames, Boxtelius, Tholousij, Dolhaignius, Louuernallius, VVarousius, numero ad duodecim: multa ibi consilia. Aberant ab isto conuentu Egmondanus & Marchio Bergẽsis: in diem itaque insequentem Hoochstratano cœnam Hoochstrati Orangius cæterique indicunt, Egmondanum Bruxella, Marchionem Berga iis ad cœnam literis inuitant, quibus nisi iis salutatis

*Procerum Bredæ & Hoochstrati conuentus.*

lutatis, discedere in Germaniam Zuatzenburgiú nolle affirmarét. Hoochstrati itaque nouis consiliis de re tota deliberatur, ostendit Orangius, vt suo illo in Regem libro commemorat, periculosos imminere ciuiles motus, coniurâsse nobilitatem, vereri se vti morbo grauior sit medicina, pertinere ad suam, collegarumq́. suorum curam, vti neque Cardinalitiis hominibus Remp. prodant, neque istiusmodi periculosis nobilitatis consiliis iactari rem patiantur, consilia itaque atque operas in cõmune collegæ conferrét, Remp. per se capesserent; adferunt in eam sententiá nõnulla etiam Zuartenburgius atque Hollius. Respondet Megemus: Itáne vti pauci nebulones rem tantam audeant? Deum testor, si ducéta mihi florenorum millia Rex annumerat, næ hisce ego omnibus caput comminuo: Quin tu, inquit Orangius, parciùs Megeme, neque tibi tam est ea res facilis futura, & multos tu eo numero viros honoratos es reperturus. Egmondano quoque Bergensiq́. hoc quod Orangius proponeret cõsilium minus placet: disceditur itaque re infecta Hoochstrata, eo euétu, vt reuersi Bruxellam Egmondanus & Megemus rem totam Parmẽsi denunciarent, omnibus in posterú Orangij consiliis sermonibusq́. Megemus abstineret, Parmensi totú se daret, Egmondanus cum se gereret, qui neq. Parmensi, neq. Orãgio satisfaceret; fœderati contrà multo etiam maiore studio rem agere, sociis in Cal. Aprilis Bruxellá diem dicere, de tota consilij ratione multa versare, libellú quem Parmensi traderent, modò in hanc, modò in illá sententiam

Fœderatorú studia.

tentiam

tentiam describere, de adducendis vnà secum Bruxellam grauis armaturæ cohortibus diu cogitare, chartas in vulgus eas spargere, quibus vrbium magistratus, collegia, singulos quosq. homines viritim ad præclarissimi facinoris societatē cohortarentur, non deesse suo quoq. officio Parmensis, cōmonefacere magistratus, laudare viros fortes, de Regis in Belgiū aduentu, Regis literas, allatos ex Hispaniis constātes rumores, grauissimaq. nouorum motuū pericula ostendere: priuatim continuis frequentissimi Senatus cōuentib. de re tota deliberare; nouam mitigandis edictis formulam concipere: id postremò Senatui proponere, admittí ne in vrbem tantam quæ diceretur fœderatorū multitudinem oporteret. Barlaymontius admitti debere negabat, si admitterentur, clàm extra Senatū ita loquebatur, vt cōpleri occulto milite Palatium, ingressosq. trucidari ad vnum omnes fœderatos debere profiteretur, nouos quoq. militum delectus quadringentis florenorū millibus, quæ paucis diebus antè Parmēsis accepisset, haberi debere affirmaret: Contrà Orangius cęteríq. grauem eam barbariem, maiorémque quàm sustinere Parmensis posset futuram iniuriam affirmant, si nobilibus è quibus nōnulli ad se sanguine atq affinitate, plures amicitia pertinerēt, supplicare quod misertimo cuique paterēt non permitteretur. In eam itaq. sententiam disceditur, vt sine milite venientes audituram se fœderatos Parmensis pronūciaret. Primus itaq. IIII. Non. April. an. M D. LXVI. Bruxellam Henricus Bredenrodius frequēte nobilitatē comita-

*Parmēsis Remp. procurat.*

*Fœderati Bruxellā veniunt.*

comitatus ingreditur: erat enim ea Bredērodio à Fœderatis delata prouincia, vti pro toto conuētu verba faceret, libellumq. Parmensi porrigeret, siuequòd summa gentis Bredērodiæ nobilitas existeret, siue quòd iis esset Henricus moribus, vt ingenti verborū factorúmq. audacia, omnē obseruantię atq. metus cogitationē quouis negocio facillimè deponeret. Die postero III. Non. April. ingreditur Bruxellā Ludouicus Nassouius ea fœderatorum multitudine, vt iam numero ad centum quinquaginta Bruxellę existerent, inde expectatis nequicquā in diem insequentem Culenburgij & Tsherēbergæ Comitibus, libello ab Orangio cæterísq. in lenius verborū genus commutato Non. April. cùm amplissimū eo die equitū, togatorúmque Senatū Parmensis haberet; bini cōposito ita ordine fœderati in ciuiā via publica procedūt, vt alter, qui agmē duceret, malo omine claudus existeret, postremi Bredērodius & Nassouius omniū in se hominū oculos conuerterēt. Ingressus itaq. ad Parmēsem Bredērodius in hanc sententiā proloquitur: Nobiles qui Bruxellam venissent, alios item eius ordinis cōplures, qui certis de causis adesse minus potuissent, cōmotos officij cogitatione, qua se Regi patriæq. obligatos intelligerent, hoc illo quē exhiberet libello de reb. grauissimis officiosè referre, inuētos qui apud Parmēsem Senatoresq. eam nobilitati calumniā facerent, vti ad homines commouendos, quódque est omnium longè grauissimū, ad Regem ab imperio amouendum, suscepta cum Gallis Germanísque consilia profiterentur, cogniturum per se Parmensem istius libelli lectione, quàm hoc ad se crimen non

*Bredenrodij fœderatorū principis ad Parmensem oratio.*

O perti-

pertineret: intelligere se, quàm id pati Parmensis non possit, vti honestissimæ nobilissimæque societati ea tanta inferatur contumelia: rogare itaque vniuersos, vt accusatorum reorumque edi nomina Parmensis procuret. Quæ cùm dixisset, libellum in hanc sententiam Parmensi tradit: Esse ita sanè vt causas non improbabiles Rex haberet, quibus cùm antè sæpe, tum postremis literis patris Cæsaris exemplo retinendam veterum de Religione edictorum seueritatem imperaret: verùm cùm non vnis neque ijsdem consilijs administrari Remp. perpetuò oporteat, fuerintque ea edicta iam olim (cùm ferre ea posse homines crederentur, cùmque minùs exactè ex eorum præscripto ius diceretur) maximorum malorum grauissimorumque motuum causa, vereri se modò non tam veteres animorum offensiones, atque eos rerum motus seditionesque, quibus concussa grauissima ruina Resp. collabatur: Iampridem se sperâsse futurum, vti vel proceres, vel prouinciarum ordines hanc in se curã susciperent: verùm cùm certis, quas ignorarent, de causis hoc illi Reip. officium non pręstiterint, facere se necessariò pro ea qua Regi patriæque necessitudine tenerentur, vti de rebus tantis Parmensem commonefacerent, cæterisque hoc suo officio idcirco præirent, tum quòd agros habitarent, in quorum vastitatem commotorum sese hominum rabies vt plurimùm conuerteret, tum quòd sibi cæterisque per Belgium hominibus nullam contra calumniam suffecturam innocẽtiam intelligerent: Postulare itaque se, vti & legatio

*Fœderatorum libellus.*

gatione Regi Parmensis exponat, retineri (nisi veteribus edictis abrogatis, nouisque ex sententia ordinum generalium promulgatis ) Remp. diutiùs non posse, & quoad de hac est legatione sententiam Rex rescripturus, differri omnem Inquisitionis edictorumque executionem Parmensis patiatur. Hæc esse illa æquissima postulata, quæ magno suo merito atque fide probata iampridem Regi nobilitas humillimè flagitaret, extra omnem eam seditionum, motuum, cædiumque in posterum culpam futuram, si (quod Deum, Regem, Parmensem, Senatores, omnes omnino homines atque suam conscientiam testarentur) fide optima præclarissimoque in Remp. studio monentibus non pareri contingeret. Libello perlecto, dimissoque sub meridiem Senatu, die postero ingressis vrbem Culenburgij & Herēbergæ Comitibus, ex ædibus Culenburgianis quaterni ex ordine nobiles in curiam progrediuntur: responsum flagitantibus: scripto in hanc sententiam Parmensis respondet, facturam se quod de legatione Hispanica proponeretur: Re cum Equitibus aurei velleris, prouinciarum præfectis, Senatoribusque deliberata iam antè eam se nouam edicti formulam concepisse, quam Regi subditisque probaturam sese existimaret. Ferre imperij sui rationem minus posse, vti sublato legum metu, Religio malorum hominum iniurijs exponatur, quod posset id se esse curaturam: Iurisdictionem se impe- rãte comiter leniterque Inquisitores iudicesque habituros, Regi persuadendo eam se operam

*Parmensis libelli respond.*

impensuram, vt quod Brabantiæ ciuitates impetrâssent, vti ne Inquisitorum iurisdictioni parere sit necesse, id cæteras etiam vrbes prouinciasque impetraturas arbitraretur: daturam se huic rei seriò idcirco eam suam operam, quòd certò sibi polliceretur, longissimè à nouarum Religionum studio ita nobilitatem abesse, vti contrà veteris Catholicæ Religionis (quæ Belgio hactenus extitisset) studiosissimam eam arbitraretur. Respondent denuo fœderati: Magnas se Parmensi habere gratias, quòd de nobilitate honorificè sentiret, ad postulata tam perhumaniter atque citò respondisset, dilucidiùs nihilominus clariusque se responsum expectâsse. Quod de mitigando Inquisitorum iudicumque imperio promitteretur, ita se accipere, vt quoad Rex est responsurus, nullam eos iudices quæstoresque, siue ex edictis, siue ex præscripto Inquisitionis habituros quæstionem arbitrarentur: Omnino ita se officium facturos, vti iis sese legibus parituros reciperent, quas ad veteris Religionis tutelam ex Ordinum generalium sententia Rex est laturus: Pœnam, si contrà quis fecisset, seditionem, turbámve quis concitâsset, non deprecari: Testari denuo extra culpam se futuros, si tempestiuè de periculo monentibus minus pareretur: Ita postremò in Parmésis sese potestate existere, vti cùm id esset imperatura, mori in eius conspectu, ipsius ante pedes nullatenus recusarent. Atque hæc tum equidem non ea modestia postulabant; quin multa imperiti homines indigna cõmitterent. Quo in

*Iterum Parmensi fœderati.*

genere

genere fuit illud cumprimis celebre conuiuium, quo in ædibus Culenburgianis tercentum fœderati intempestiuis compotationibus, solis sibi initio, inde toti Caluinistarum factioni ominosam Geusiorum compellationem procurârunt. Prandebant vnà tercentum fœderati, pro magnitudine multitudineque poculorum crescebant publicarum rerum curæ consiliaque, quorum tam non meminisse sit facilè, quàm non explicari somniantium visa facilè possunt: Inter cætera multorum sermonibus recitari, Barlaymontium totam eam optimorum nobilissimorumque hominum multitudinem voce Gallica Geusios compellâsse, libenter in Regis patriæq. gratiam Geusios se futuros. Magnis itaque conuiuantium vocibus sumptisque ingentibus cyathis totis ædibus de Geusiorum salute faustis acclamationibus decertatur: Viuat Rex: Viuant Geusij. Dum pocula atque vota repetuntur, en Hoochstratanus (accurritur antè quàm explicare quibus de rebus à Parmense venisset, posset) intrò abripitur, exilire præ gaudio conuiuæ, aduentum noui hospitis faustis acclamationibus excipere: Viuat Rex: Viuant Geusij, in sedes subsilire, ex alto ad Regis Geusiorumque salutem immanibus sese poculis profundere, Bredenrodius vas ligneum postulare: Manticam è trabe suspendere: Sub trabe faustam Regi, Geusiisque potationem conuiuis indicere: Iurisiurandi eam formulam potanti præscribere, vti: Per panem, salem, atque manticam non discessurum sese ab instituto profiteretur: Crescit

Origo Geusicî nominis.

Par le pain, par le sel, par la besache, les geux ne changeront quoy qu'on face.

O iij bacchan-

bacchantum furor, galeri permutantur, inuersi capitibus imponuntur, ad singula quæque momenta: Viuat Rex: Viuant Geusij. Orangius, Egmondanus, Hornanus è Mansfeldani conuiuio eo itinere Palatium conscendebant, transeuntibus de Hoochstratani ingressu, conuiuarumque potatione ostenditur, siue itaque (quod ferebāt) vt Hoochstratanum è temulento conuiuio in curiam secum abducerent, siue qua alia de causa in aream procedunt, conspectos conuiuę circūstant, poculis, vocibusque: Viuat Rex: Viuant Geusij, identidem salutant. Repetita inde res per dies insequentes, vestes è panno cinericio fœderati assumunt, minutas è ligno scutellas, poculaque è galero suspendunt, numismata cudi in eam formam procurāt, vt vno latere Regis effigiem his verbis circumscriptam: Fideles Regi; altero, duabus fœderatis manibus implicatam manticā; hisce adiectis verbis, Vsque ad manticam, haberent: Radi sibi postremò præter labrum superius barbam reliquam iubent. Atque hæc est illa non vt Antiochiæ Christianorum, sed peregrina qua ratione exorta Geusiorum compellatio, de qua equidem sic accepimus, vsurpari ita variè eam vocem olim consueuisse, vt modò scurram, modò mendicum, modò quem facetum nepotem significaret: Certè Cornelius Valerius (apud quē iis temporibus in collegio Trilingui Louanij educabar) vir cumprimis eruditus, quiq. vir optimus existere, quàm credi vulgari fama magis laborabat, sic nobis tum aiebat, eandem esse eam vocem gallicam quę esset Teutonū vox, Geuten, quam

*Notatio vocis geux.*

quam maiores vel Gothis genti Barbaræ tribuissent, vel odio Gothici nominis conuicium fecissent: similemque esse notationem vocis Droes, qua Germani inferiores vel malè precari vel mirari consuêssent. Transiisse enim in hominum vsum eam vocem à Druso Cæsaris Augusti nepote, qui multis grauissimisq́. cladibus omnem eam oram latè vastâsset. Duo itaque fœderati Geusij flagitârant, vt legatione Regi sua postulata Parmensis exponeret. Tolli quoque omnem, dum Rex responderet, Inquisitionis edictorumque executionem pateretur. De priore ita rem constituit, vt Marchioni & Montigneo profectionem in Hispanias persuaderet, siue quòd prudentiæ magnam vterque laudem obtineret, siue vt digressis vti iis in posterum fœderati non possent: Probant consilium fœderati, ostendunt profecturis, quoad in Hispaniis sunt futuri, tranquillissimè sese domi Remp. habituros. Prior itaque Montigneus, quòd pedem Marchio offendisset, Parisios proficiscitur, ea vrbe cùm apud Franciscum Alaua Regis catholici Legatum vnà cum Balduino prandisset, multaque ita loquentem Legatum audîsset, vti secari capita auctoribus nouorum per Belgium motuum oportere affirmaret, progredíne oporteret cum Balduino deliberat: Balduinus manendum morbumque simulandum affirmat, Montigneus contrà, nec diu simulare, nec nisi grauissimis de causis redire non posse se ostendit: pergit itaque in Hispanias, sequiturque Marchio: nunquam redituri. Alteri verò fœderatorum petitioni ita

*Duobus libelli capitibus qua ratione Parmensis satisfacit.*

*Marchio Bergensis & Montigneus in Hispanias proficiscuntur.*

O iiij Par-

Parmensis satisfacit, vt dimissis in prouincias præfectis, habere eos singulos suarum prouinciarum conuentus mense Maio imperaret, nouumque iis ordinibus in hæc capita edictũ proponeret: Religionem præter veterem Catholicam, nullum totis prouinciis vel publicè, vel priuatim habiturum, qui aliam à Catholica Religionem publicè priuatímve doceret, munus gereret, libros scriberet, domum sciens dolo malo præberet, turbam concitaret, Catholicos offenderet, in eos homines pœnitentes gladio, nõ pœnitentes laqueo animaduerteretur; bona ita demum fisco cederent, si non iis prouinciis atq. vrbibus existerent, quibus ob crimen in cõmissum cadere bona damnatorum non consueuerunt. Qui crimen hæresis animo contraxisset, facto res istas non admisisset, huic pœnitenti & coram Episcopo hæresi reũncianti, pœnæ is terror non existeret. Qui delatus hæresi non renunciaret, is proscriptus bonis vteretur, alienandi, testandiq. de iis bonis potestatem non haberet, mortuo hæredes Catholici ab intestato succederent, bona ita demum amitteret, si contra Religionem, quietem prouinciarum absens moliri quid conuinceretur. Anabaptistæ pœnitentes nullius grauioris facti rei extra ordinem arbitrio iudicis coërcerentur, pœna mortis non tenerentur: non pœnitentes, exilio bonisque mulctarentur. Hæretici relapsi, inde denuo pœnitentes, exilio atque bonis: non pœnitentes morte punirentur. Anabaptistæ relapsi nullo discrimine laqueo suspenderentur. Qui libros vel hæ-

*Nouum veterum edictorum temperamentum.*

reticos

reticos vel ſeditioſos ſciens dolo malo ſæpius excudiſſet, diſtraxiſſet, is pœna miniſtrorum doctorumque teneretur: Qui rariùs feciſſet, is proſcriptus arbitrio iudicis vel ære vel corpore pœnas daret: Qui lucro non hæreſi adductus res eas feciſſet, extra ordinem arbitrio iudicis coërceretur: Qui, quò quis ſeduceretur, frequenter diſputaret, pœna mortis: qui rarò nec ſeducendi animo, ſed curioſitate id faceret, in eum arbitrio iudicis animaduerteretur: Qui libros improbatæ lectionis legeret, legendos alteri exhiberet, imagines, ſigna, ſtatuas Religioni contumelioſas pingeret, ſculperet, pictas, ſculptas haberet, illicitis nouarum Religionum collegiis interfuiſſet, in eum pro criminis, perſonæ atq. rei diuerſitate, arbitrio iudicis ſtatueretur: Qui hæreticorũ illicita collegia denunciâſſet, huic, ſi collega extitiſſet, pœna cõdonaretur; ſin collega nõ extitiſſet, vel dimidium bonorũ, ſi ſexcentos florenos non excederent, vel quartam, ſi excederẽt, è bonis damnatorũ acciperet: Peregrini intra vrbes atq. pagos ita demũ futuri inquilini admitterẽtur, ſi idoneas ab eo cui poſtremò paruiſſent parocho, atq. iudice literas adferrẽt: Ad peregrinos mercatores ita ea cautio nõ pertineret, ſi modeſti ſine Catholicorum offenſa permanerent: Qui Regij iudices, qui Vaſalli, qui à Vaſallis delegati iudices ex hoc edicto in reos nõ animaduerterent, ij iudices delegatique magiſtratu, Vaſalli feudo mouerẽtur: Si Regij iudices in ſubditos Regiorum Vaſallorũ ex hoc edicto cognoſcerent, auocare à Regiis iudicibus eius cauſæ

cognitionem Vasallis non permitteretur: Quibus reis ob pœnitentiam fuisset condonatum, ij magistratum in posterum nullum gererent: quos sententia suspectos de hæresi iudices pronũciâssent, ij re cognita impetrata in integrum restitutione à magistratu non prohiberentur. Vt maximè exilium ad ea solùm loca pertineret, quibus ius dicentis auctoritas contineretur; placere nihilominus, vti proscripto omnibus omnino prouinciis exulare sit nececesse. Ad hæc edicti capita accedebant de Typographis & Ludimagistris alia quoque nonnulla. Respondent variè Ordines. Artesij, si calumniatoribus pœna statueretur, placituram sibi rem vniuersam ostendunt: Flandri edicto ita assentiuntur, vti multa nihilominus de certis suis priuilegiis, de iudicum præuentione, de Vasallorum iurisdictione, de iudicum ecclesiasticorum nimia auctoritate causarentur: Eo edicto promulgato, Inquisitionem tolli postularent, ius dicere in Laicos de hæresi Clericis non permitteretur, pœnitentes coram Parocho atque iudice prophano pœnitentiam profiterentur, in calumniatores seuerè vindicaretur, de libris non soli Theologi, sed cæterarum quoque disciplinarum professores cognoscerẽt, libri non auctoribus, sed argumento atque scripto notarentur. Si generale hoc edictum non esset futurum, si mutationem vel Regis voluntas, vel temporum necessitas, vel subditorum postulata flagitarent, futuram eandem Flandriæ quæ cæterarum prouinciarum conditionem. Lõgum est cæterorum Ordinum sententias perscribere, quod

*Ordinum ad noui edicti formulam variæ responsæ.*

quòd neque fructum ex eo edicto Resp. vllum est consecuta, nec mihi nisi trium prouinciarum descriptæ sententiæ sunt perlectæ. Certè nouarũ rerum Religionumque studiosis hominibus satisfacere ea res non poterat: multæ quotidie Ministrorum atque exulum literę, animos atque zelum Domus Dei assumerent, tot annos ecclesiam nobilissimis prouinciis iacere, tantam rei bene gerendæ occasionem elabi de manibus non paterentur: Galliam intuerentur, quę Rege repugnante Euangelium præclarè tueretur: Germaniam cogitarent, quæ Cæsarem tantum Principem cõtempsisset, apud semel commotum Hispanum pari culpa fortes atque ignauos, minore periculo viros fortes futuros: dolum esse nouam hanc edicti moderationem, stabiliri Antichristi dominatum, pro flammis, laqueos atque enses, pro Inquisitoribus, Episcopos & auaros esse iudices suffectos, iustis vniuersarum prouinciarum in vnum coactis comitiis, proponi rem eam debuisse, præter morem maiorum nonnullis prouinciis eos sentẽtiam rogatos dixisse, quibus ius veniendi in comitia non competeret: ad fœderatæ nobilitatis leuissima postulata, consternatam Parmensem, trepidãtem aulam, profligatam Inquisitorum audaciam, consiliũ rebus dubiis nullum inuenire. Omnino si in publicum Euangelium est processurum, futurum, vti tantam ferre lucem cæcutientes Papistarũ oculi non possint. Libelli quoque seditiosi in eam sententiam proponuntur, iniuria denegari prouinciis confessionem Augustanam, quòd imperij comitiis ea esset

*Hæreticorum de nouo edicto sermones.*

confessio

confeſſio comprobata, & ad imperiũ complures prouinciæ pertinerent, æquiſſimis poſtulatis edictorum atq. Inquiſitionis crudelitatẽ fœderatos deprecari: Brabantinorum priuilegia neq. iudices eccleſiaſticos, neq. veterem quẽ edicta imperarent iuris ordinẽ pati diutius poſſe, cæteraq. in eam ſententiã infinita. Cùm itaq. in lubrico ita rem conſtitutã nonnulli animaduertũt, vt ſi perſuaderi hoc quod proponeretur edictum cõtingeret, nulla in poſterum ſtabiliendæ nouæ Religionis ſpes exiſteret, præclarè ſe facturos exiſtimârunt, ſi dum res nutaret, dum fœderati nullis cũ Parmenſi certis conſilijs rem cõſtituiſſent, ex inſidiis in apertos cãpos ad non dubiam pugnæ voluntatẽ ſe conferrent: probant conſiliũ nonnulli fœderati ea ratione, quòd metu grauiſſimorum motuũ adducturos ſeſe Regem ad quæ vellent conſilia arbitrarentur. Paucis itaq. ante Cal. Maij diebus circum maiores vicos Flãdriæ, per agros diurnos habere conuentus Caluiniſtæ incipiunt, inde quarto Non. Maij circa Antuerpiam, hinc vt graſſante ſcabie, ſic variis è locis attractæ pruritu Caluiniſtarum, Lutheranorũ, atq. Anabaptiſtarum ſeſe conciones oſtẽdunt: nullæ per Lutzenburgum, Arteſiam, Hannoniam, Namurcum, nullæ quoque (niſi in agris ad Flandriæ limitem) per Inſulas, Duacum, & Orchiniũ: frequentes contrà per Flandriam, ditionem Tornacenſem, Valencenenſem, territoriũ Antuerpiẽſe, & Buſcoducenſe in Brabantia: Hollandiam, Zelandiam, Geldriam, Phriſiam: Procedit in aciem quicquid vſquã eſt terrarũ Belgicorum Miniſtrorum,

*Hæreticarum concionũ initia.*

rum, Diaconorum, Seniorũ, Superintendentiũ, quicquid postremò vel vetere vel recẽte memoria proscriptorũ hominum, telum pro se singuli ad cõuentus deferre, plebem carmine ad arma cõcitare, nullo momẽto leuissimos hominum animos ad se transducere. Nihil enim tam est facile, atq. istis hominũ moribus ingeniisq́. nouam Religionem persuadere; siue quòd Catholicę Religioni non nisi in speciẽ dicis causa homines iam diu parent: siue quòd sublata omni Religiosarũ mentium pietate, nihil nunc æquè adlubeat, atq. pauca credere, pauca facere; siue quòd veteris Catholicæ Religionis rationẽ pauci assequũtur, totamq́. eam nisi quandam superstitiosarũ ceremoniarũ farraginem arbitrentur: siue quòd disciplinę ecclesiasticę proiectum ordinem multi intuentur: siue quòd ea sunt postremò hominũ vitia, vt coërceri nisi grauissimis hisce pœnis non possint. Est enim nimis quàm graue diuinæ vindictæ genus, cùm peccaueris, Ecclesiam nõ inuenire, ad quam pertineat: Cuicunque remiseritis peccata, remittuntur eis, nõ inuenire perenne sacrificium secundum ordinem Melchisedech, nõ illa denique tot, tantaque, quæ animis ritè procurandis firmamentum veritatis Ecclesia retineret: nullam enim existere Christi Ecclesiam ex istis nouis Religionibus sequi est necesse. Si enim est ista, quam profitentur, vera atq. ea sola Religio, quam sequi sit necessę, neque vllum toto orbe terrarum, ne vnum quidem hominem vel cogitando possunt inuenire, qui ante se exortos non etiam res eas crediderit, quas credi sine

*An hinc-vs conuẽtus sint Ecclesiæ Dei.*

ſine impietate atque adeo Dei contumelia non poſſe profitentur, fit vt tot retrò annis nulla extiterit, toto quàm latè patet orbe terrarum, contrà quàm Lex, quàm Prophetæ, quàm Chriſtus, quàm Apoſtoli futurum affirmarint, Dei Eccleſia: Quam rem ſi cogitare hominum mentes refugiunt, fit neceſſariò, vt vel iſtorum conuentus nō ſint Dei Eccleſia, vel ſi Dei Eccleſiam eos eſſe concedamus, tot retrò ſeculis nulla ea extiterit, quod vt credere Symbolo vetamur, ſic illud neceſſariò conficitur; nō eſſe eos in Eccleſia, qui à ſe orti, tot poſt Chriſtum natum annis, nō niſi Caluinum, Lutherum atq. Mennonem laudare auctores poſſunt. Quod ſi fuiſſe maiores noſtros in Eccleſia, neque ſe vt nouam cōſtituerent; ſed vt veterem reſtituerent, veniſſe affirmabunt, certè id dare eos eſt neceſſe, non fuiſſe cur tantum operæ in re noua collocarent, ſi peruenire poſt mortem ad ſummum bonum, quod vnum quæreretur, per illam veterem maiores noſtri potuerunt. Omnino duo ſunt hominum genera, quæ leuare hominum corpora morbis cōſueuerunt, qui arte id facerent medici, & qui gladio laqueóve extinctum dolere corpus non paterētur carnifices; quos certè ſi medicos quis dixerit, facilè equidem id Catholici ſunt daturi, vt Eccleſiæ reſtitutionem petendam ab iis hominibus profiteantur, qui ſublato corpore atque forma, nouam ex ingenio noui corporis formam conſtituerunt. Sed iam longiùs à narratione diſceſſimus. Concionabantur itaque ingente hominum concurſu multis locis Caluiniſtæ: minore frequen-

*Lutherani, Caluiniſtæ, Anabaptiſtæ paſſim cōcionantur.*

frequentia, nec nisi in Brabantia, Lutherani: locis atque numero quàm Lutherani maiore Anabaptistæ: sed neque ea luce, neq. discipulorum pari cum Lutheranis auctoritate: sic enim viri honorati de Lutheranis nonnulli loquebantur, & celeberrimam eam principibus Religionem probari, & minus esse hanc istam, quàm esset Caluiniana, seditiosam, multa eam pati in Rep. quæ diuturnus hominum vsus comprobâsset, quæq. tolli sine publicarum rerum motibus difficulter possent. Non fert Parmensis tantam Religionis, tantam Regis atque suam contumeliam: relicta itaque omni de mitigandis edictis cogitatione, ad coërcendam eam hominum temeritatem se conuertit, pœnas in illicitos conuentus graues constituit, mortem Ministris receptatoribusque indicit, sexcentos florenos si Ministrũ quis comprehendisset, pollicetur, auditoribus, si cum telo deprehenderentur, exilium, si inermes, pœnam arbitrariam comminatur, de culpa filiorum, familiæ, discipulorum, ministrorum ita constituit futurum, vt parẽtes, patresfamilias, magistri, heri de ea tenerentur. Edicti huius sui eum fructum Parmensis consequitur, vt quibus locis conciones nondum haberentur, iis vti ne susciperentur, magistratus cauerent; quibus contrà locis haberentur, iis maiore etiam hominum concursu, armatorumque multitudine, ad loca vrbibus viciniora conuentus Ministri transferrent, Psalmos ad numeros Marotanos, Bezanosque, vt Sirenũ cantus, sic ingenti populi voluptate decantarent, conciones in Antichristũ, in idola, in Pharisæos, excm-

*Parmensis in conciones edicta.*

*Edictorũ fructus.*

exemplo, vti aiebant, Ducis Iosuæ, Machabæorum, Christique acerbas haberent; Legatos in Gallias, Angliam, Germaniam dimitterent, cõsilia quibus cum videretur turbandæ Reip. infinita susciperent. Frequentissimis quoque Senatus deliberationibus multa queri Parmensis, dicere modò Barlaymontio, Viglioque atque Assumuilio (cuius consilio atque opera plurimùm vtebatur) eorum sese dolis iactari, à quibus cauere ob imperij quam tenerent auctoritatem, minus posset: modò Orangio, cæterisque ita loqui, vt desiderare sese multa in eorum in se officio, muneréq. ostenderet: nõ ferre id neq. Orangius, neque cæteri, multa causari cur eorum ad se motuum culpa non pertineret. Hoochstratanus Orangio perquàm familiariter vtebatur, in eius itaque gratiam multa Hoochstratanus in Senatu liberiùs dicere, quàm ferre Parmensis facilè posset, laudare eam hominis fortitudinem Orangius, cæterique multis eum officiis sermonibusque tantùm non in cælum extollere, crescere inde Hoochstratano pro patria, pro amicis decertandi cupiditas, Parmensi sępe refragari, simultates nullo in se metu libenter suscipere: quòd certè eò tristiùs viris bonis accidebat, quòd Religionis Catholicę perquàm studiosus, Orangij consilia nõ tam iudicio, quàm amicitia sequi diceretur. De præsidiis quoque in vrbes adducendis Parmensis deliberat. Megemus Antuerpiæ persuadere magistratui populóque rem conatur, non succedit negociũ. Rex Orangium, cęterosq. literis perhumaniter laudatos de vetere officio retinen-

*Parmẽsis Procerũmque concertationes.*

retinendo commonefacit: Prouinciis vrbibusq. iam pridem venturũ se fuisse in Belgium ostẽdit, si non etiam vlturũ clades Masalquibirij, Pignonij atq. Maltæ, irrupturum in quã Christiani orbis partẽ Turcam putâsset: Cõscribere nunc Turcam terrestres copias, ea re fieri vt hac cura deposita ad iter se in Belgium cõponeret. Officij itaq. in se veterem quam cõsuêssent rationẽ homines tenerent, seditiosis hominibus nõ assentirentur, coràm se de subditorũ postulatis æquissima ratione cogniturũ, cæteraq. in eam sententiã nonnulla. Optimè iis tẽporibus Regi Catholico cum socru Regina matre, & coniugis fratre Rege Carolo cõueniebat. Fuerat enim anno antè solennis suscepta à Regina Hispaniarũ ad matrem atq. fratrem Baionã profectio, grauissimis itaq. pœnis ne quis è Gallia in Belgiũ subsidio factiosis hominibus proficiscatur, Rex Carolus edicit. Scribit quoque fœderatorũ Principibus Parmensis: Esse eam multorũ sentẽtiam, vt fœderatę nobilitatis auspiciis tumultuari hũc in modũ plebem arbitrarentur, adduci se minus posse, vti huic hominũ suspicioni assentiretur: Extare enim nobilitatis pręclarissima in Regem atq. se officia: Recẽtem quoq. eam esse à nobilitate datã sibi fidem, qua se Regi atq. sibi sacrosanctè deuinxisset: Rogare itaq. se hãc suam de tota societate pręclarã opinionem factis cõprobarent, illicitos conuentus, periculosa nouarũ Religionum consilia ope cõsilioq. disturbarẽt. Geusij, quòd Hispanicis legationib. nõ respõderetur, deliberare in cõmune cupiebant, peroportunè itaq. vt de iis Parmẽsis literis videretur,

*Regis ad Orãgium atque vrbes litera.*

*Regum Hispaniarum Galliaque concordia.*

*Parmẽsis ad fœderatos litera.*

*Fœderatorum ad sanctum Trudonem conuentus.*

ad XVIII. Cal. Augusti, sanctum Trudonem vrbē ditionis Leodiensis conuentum societati constituunt. Non placet ea coitio Parmensi, ostendit habere à se mandata Orangium atque Egmondanum certos quos vellent homines Dufflam mitterent, venturos eò Orangium atque Egmondanum, exposituros ea sua mandata, quæ probaturā societatem arbitraretur. Perpauca itaque eo conuentu Trudano proponuntur, quòd inutilem eam futuram disceptationem multi profiterentur, quam nouis mandatis non intellectis essent suscepturi, legatosq. qui Dufflam proficiscerentur, numero ad XIII. hosce nominant, Ludouicum Comitem Nassouij; Eustachium de Fiennes Dominum Esquerdij; Carolum Reuelium Dominum Audrignei; Bernardum Merodium Dominum Rumei; Carolum vander Noot Dominum Risoirij; Georgium Montigneum Dominum Noyellij; Martinum Serclasium Dominum Tillij; Philippum Marbaisium Dominum Louuerualliј; Ioānem Montigneum Dominum Vilerij; Carolum Lieuinium Dominum Famarsij; Franciscum Haestium; Ioannem Sauuagium Dominum Escaubecquij. Rixę nihilominus fœderátos grauissimæ eo conuentu excipiunt, multi, vt ostendimus, Catholici veteris obseruantiæ atque moris perquàm studiosi homines, vel imperitia, vel amicitia, vel qua alia de causa in societatem consenserant. Cùm itaque eo conuentu Trudano libellus est propositus, quo mercatores atque plebs nouarum Religionum patrocinium à fœderatis ea ratione postularent, quòd

eorum auctoritate atque in se studio rem eam sese aggressos profiterentur: cùm de milite conscribendo, pecuniis conferendis, societatibus suscipiendis, qui referrent, nonnulli ea societate sunt reperti, tum multis verborum cõtumeliis ita res ea à nonnullis est Catholicis reiecta, vt societate deserta Bruxellam ad Parmensem proficiscerentur, pariturosque se quo vellet officio Parmensi pollicerentur. Veniunt itaque Dufflam Antuerpia Orangius, Bruxella Egmõdanus, sancto Trudone fœderatorum delegati, ostendunt Orangius & Egmondanus: Fecisse Parmensem quod à se nobilitas flagitâsset, Legatos in Hispanias, Marchionem & Montigneum transmisisse: Inquisitionis, edictorumq. quam reprehenderent, seueritatem lenissimis mandatis temperâsse: Hoc ipso manè tabellarium in Hispanias ablegâsse: Rogâsse ad illicitos seditiosorum hominum cõuentus æquabili qua ratione tollendos, indici vniuersarum prouinciarum comitia Rex pateretur: Eas esse Regis præclaras virtutes, vti & hoc impetrari à se sit passurus, & ęterna obliuione, omnes retrò offensas summa animi moderatione clementiaq. sit deleturus: Parmensem quoad Rex est rescripturus, neque militem, nisi ad vrbiũ limitanearum pręsidia, non esse conscripturam, neque conciones, si ab armis atque vi abstineretur, milite turbaturam: Periculosos esse hos populares tumultus, tum quòd semel officij obliti homines modum tenere difficulter possint, tum quòd peregrini atque ij veteres Belgij hostes duces auctoresq. eorum grauissimorum motuum

*Orangius & Egmõdanus cũ fœderatorum delegatis Duffle.*

 existe-

existerent. Præclaram itaq. atque se dignam facturos rem fœderatos, si quod officij atq. fidei à se ratio flagitaret, sedulam in continendis hominibus operá collocarent, facere id fœderatos eo studio maiore debere, quòd auctores earũ concionum conuentuũq. vulgò dicerentur. Respõdent Geusici delegati: Nouem capitibus contineri totã, quam audîssent legissentq. legationem: Initiò immensas habere se Parmẽsi gratias, quòd Legatos in Hispanias, atq. hos ad se summi ordinis viros ablegâsset: Quod esset alterũ, vt de suo in Regem atq. Parmensem officio laudarentur, monerenturque, esse ita sanè, vti ab officio abduci se nulla equidẽ ratione paterentur: Quòd diceretur Parmensem nobilitatis postulatis accuratè satisfecisse, Inquisitionis edictorũq. seueritatem temperâsse, ius ex iis legib. iam nullũ dici omnino, præstare id quod diceretur Parmensem, cõtra iudices vrbiumq. magistratus contẽpta Parmensis auctoritate, vetere iudiciorũ forma quæstiones ex iisdem iis legib. habere. Quòd de coercẽdis hominũ conuentibus concionibusq. proponeretur, eam se fidẽ huic negotio præstitisse, qua grauior atq. arctior nulla possit: plus dedisse quã promissis conuenerat, fuisse eam rem curæ, cùm vniuersę societati, tũ multis priuatim: impetrare se quod postularẽt à cõmota plebe ea ratione nõ potuisse, quòd deludi sese plebs profiteretur. Responsum ad æquissima libelli postulata intra bimestre quod esset constitutum, nullum adferri: Ordinum comitia, pręter comitiorũ libertatem, præter morem maiorũ habita fuisse, multas omnibus

Fœderatorum Geusi rum responsum.

nibus è locis exaudiri clericorũ atq; iudicum graues minas, cõmotos iis rationibus, necessariò cõtra iniuriam innocẽtiæ ſe ſuæ tuendæ cõſilia cogitare: non eſſe cur Parmenſis libellũ à ſe exhibitum cauſam nouis motib. dediſſe arbitretur: vnã adferri cauſam ab iis, qui res eas nouas ſuſcepiſſent, conſcientiam atq; zelum, quæ cohiberi tam non potuerint, vt ſi libellus à nobilitate exhibitus non fuiſſet, maiore etiam rerũ motu fuerint rem eam homines aggreſſuri. Nullã itaq. adferri cauſam, cur in ciues Regis ſubditos, cur in eos homines qui parituros ſeſe Ordinũ generalium ſententiæ profiterẽtur rem vllam grauiorem cõſtituere ſe oporteat: ſi quod diceretur, peregrini ſeſe hoſtes oſtenderent, primos conſcenſis equis in eos eſſe impetum ſe facturos. Quòd fauere cõcionibus fœderati dicerentur, eſſe in ſocietate nonnullos, qui quam Religionem conciones profiterentur, eam fide atque vita ſequerentur, facere tamen eos ſuos ſocios, vt neque concionum auctores exiſterent, neque de fide, quam Regi deberent, vlla ratione diſcederent. Quòd de Regis clementia commemorâſſent, eſſe ita ſanè, vti neque meliorem neque clementiorem eo Principem vllum arbitrarentur, optare vt coràm quibus de rebus videretur agere cum Rege liceret, non dubitare quin Rege iudice cauſam obtineant: Quòd poſtremò de præteritarum rerum obliuione promitteretur, aſſequi ſe rem eam minus poſſe, nullam enim eſſe à ſe culpam commiſſam, quam obliterari æterna obliuione ſit neceſſe, magno ſe contrà

beneficio ea ratione Regem sibi deuinxisse, quòd multò antè de grauissimis periculis prudenter monuissent. Quæ cùm prolixè hunc in modum Geusij respōdissent, tum in eum sermonem sunt ingressi: Ingenuè viros ingenuos atque nobiles loqui debere, nonnullos (quorum in Rep. magna sit auctoritas) ita de se, totaque adeo societate loqui consueuisse, vti grauissimorum eam criminū, perduellionis atque Maiestatis ream facerent, acerbis à se odiis dissiderent, minas eas iactarent, quas ferre optimè de Rege meritos viros nobiles non oporteat; omnino non fuisse id eos homines facturos, si non etiam Parmēsi suspectam societatem arbitrarentur, dissimulare se diutius iustissimum dolorem non potuisse, necessariò fecisse, vt cōtra iniuriam atque vim peregrè amicos atque auxilia sibi compararent: iustissima ea demum esse arma, quæ sunt maximè necessaria; nunquam ea lubrica se consilia fuisse suscepturos, si quod aliud saluti securitatique peropportunum sese obtulisset. Quæ res si Parmensi nō probaretur, vnum sese cogitando consilium etiamnum reperire, quo satisfieri nobilitati posse arbitrarentur, si nimirùm idoneè sibi Parmensis atque velleris equites cauerent, nulli libellum atq. fœdus culpæ damnóve in posterum futura. Multos sibi cum Orangio, Egmondano, & Hornano iam inde à libello exhibito sermones de tota consilij sui ratione sæpe extitisse: multa quoque sibi in posterum negotia futura, quæ curari nisi prudentissimorum hominum consiliis non possint, rogare itaque se, imperaret hisce tribus Parmensis,

mensis, Vti secum quibus de rebus oporteret deliberarent: Omnem in se belli, publicęque quietis curam susciperent: Societati patronos sese præstarent, maiora equidem sese postulare, quàm præstare per imperiũ Parmensis posset. Legatos itaq. hac de re quęsituros in Hispanias transmitteret, quoad Legati reuerterentur, hoc quod postularet, securitati suæ donaret, finem postremò sermonis istum facerent: Ingẽtem populi multitudinem conuentu sancto Trudano societati ostendisse, ea lege, futuram se in Ordinum generalium potestate, legibusque parituram, quas ferre de Religione Ordinum comitiis Regem cõtingeret, si quoad comitia haberentur, patrocinari sibi palàm nobilitatem Parmensis pateretur: ab armis ita quoq. libẽter sese esse discessuram, si in quas vrbes flagitaretur, è societate delecti homines rebus curandis mitterentur: quæ sua, vt dicerent, ęqua postulata si Parmensis recusaret, facturos sese necessariò, vti aliundè quęsito subsidio rebus dubiis atq. afflictis opitularẽtur. Atq. hæc Bruxellæ fœderati. redierant enim eodem quo Dufflam venerant die Antuerpiã Orangius, Bruxellam Egmondanus. Multa de responsi indignitate Parmensis conqueritur: postulante itaq. Egmondano ambiguos responsi sermones in hanc sententiã fœderati interpretantur: Quod de magistratib. quererẽtur, qui vetere iudiciorum forma ius dicerent, ad Tornacenses, Insulanos, Mõtenses, Liranos, Athenses, Bruxellenses, Gandauẽses pertinere: Quod postularetur, fidem vti facerent, quando, quibúsve rationibus cõtinendis in offi-

*Fœderati postulata sua nouo scripto interpretantur.*

in officio hominibus ſtuduiſſent, id equidem ex Miniſtris, conſiſtoriiſq. intelligere nō difficulter Parmenſem poſſe: Quòd de neglecto vetere iure comitiorū affirmâſſent, id eſſe eiuſcemodi, antè rem Arteſiis quàm Flandris propoſitā fuiſſe, certis prouinciis citatos, in comitia veniſſe quibus veniendi ius non cōpeteret, nonnullos quos venire oportebat non citatos abfuiſſe, vrbium delegatis legitimum deliberandi diem fuiſſe denegatū. Metus, quem iuſtiſſimū prætenderent, has ſibi cauſas exiſtere, ſummę nobilitatis atq. ordinis nonnullos vt reos maieſtatis, ſic fœderatos abominari, ab eorum ſocietate multos abducere, pericula venturiq. Regis iram oſtendere, veniam deſertoribus polliceri, non poſſe non metuere fœderatos iſtorum de ſe iudicia, quòd ſummis hi homines rerum publicarum negociis præeſſent: tot venire ex Hiſpaniis tabellarios, nullum Regis reſponſum adferri, imperari tabellariis, ne quas diſcedentes niſi à Rege perferendas in Belgium literas accipiant, tranſitum per Gallias ſibi atque Hiſpanicis Regem copiis flagitâſſe, auxilia à Regina matre poſtulâſſe, Ducem Sabaudiæ ad Imperij comitia in Germaniam profectum, pernicioſa Belgis conſilia ſuſcepiſſe, in belli ſumptus quingenta florenorum millia clerum promittere: cauere ſibi nec Parmenſem, nec quem alium, de Regis in ſe ſtudio hactenus voluiſſe; graues itaque ſocietati eas cauſas extitiſſe, vti non in Galliis, quod diceretur, ſed in Germania de auxiliis contrahendis conſilia ſuſcepiſſent. Quòd de Orangio, Egmondano, Hor-

Hornanoque postulâssent, ita se rem eam accipere, vt non nisi belli foris atque domi administrandi supremam iis tribui potestatem desiderarent, Parmensi de summa imperij nihil detraherent. Si hac sibi ratione Parmēsis caueret, pòst ea ratione caueri non debuisse, Rex mandaret, postulare vti post denunciatā eam Regis voluntatē per totos menses tres ea sibi cautio rata existat: hisce si rationibus pacisci secum Parmensis vellet, nulla in posterum nisi cum hisce tribus consilia sese inituros, militem in Belgium nullum adducturos, Regi postremò ex Ordinum generalium sententia exactè parituros. Istis itaque altercationibus eò res erat deducta, vt si idoneè fœderatis de periculo caueretur, neq quę metuerētur suscepturi consilia dicerentur, & operam ad homines in officio retinendos præstituros se reciperent. Verùm quòd ea quæ postularetur cautio maiorem quàm haberet Parmensis imperij auctoritatē flagitaret, re deliberata tota istius cautionis cōstituendæ ratio in XIII. Cal. Sept. à Parmēse est dilata: Inualescere interea seditiones, tot retrò annorū exules domū reuerti, suas singuli calamitates iactare, iudicibus minari qui proscripsissent, accusatores quærere qui detulissent, clericos detestari in quorū gratiam exulâssent, veteres pœnas atq. flāmas recordari, quibus (vti aiebant) tot innocentes, tot miseri periissent, insanire è suggestu nouarū Religionum ministri, vt quisque vel in Reges idololatras contemptiùs, vel in clerū Antichristianum turpiùs, vel in impiū magistratum maiore cū supercilio

*Cautionis fœderatis constituēdæ ratio in XIII. Cal. Sept. dilata.*

*Hæreticarum cōcionum insolētia.*

atque ſtomacho eſt debacchatus, ita ad Eleazari, ad veterum Prophetarum exemplum, præclariùs dicere exiſtimatus, deſumpta è vetere teſtamento, quæ ad animos concitãdos argumenta atque exempla valerent: vt furiæ, ſic emiſſi in publicũ rumores: modò inſidiæ à magiſtratibus, modò cædes à Papiſtis, modò plena armatorum monaſteria, atq. ędes clericorum, modò cõiurati in necem fideliũ ſacerdotes, modò conſcriptus in ſuã perniciem nouus miles denunciatus, non conuiuiis, nõ itinere, non nauigio, non curru quies, vbique concionatores, vbique pſalmi, vbique Viuãt Geuſij; Diſcurrere per agros ingens armatorum hominum multitudo, concionatorem ſe quiſque pro arbitrio ſutor an ſartor profiteri, cõcionantem vel è congeſto aggere, vel è ſede ſublimem auſcultare, conſilia in cõmune conferre, ſcribere nũc his, nunc illis vrbibus atq. pagis, cõtumelia fideles non afficerent, euangelium ſequi homines paterentur: inſaniæ hunc poſtremò finem facere, vti in Flãdria per obſcuros ditionis Caſletanæ aliquot pagos templis violatis in vicinum Baliolum furor tranſiret. Balioli in Flandria vetere iure monaſterium habuerant, quidã è Gallijs Beati Antonij (ſiue milites, ſiue clerici non ſat ſcio) tradiderat id monaſterium Pontifice comprobante Abbati atque Monachis Sãcti Ioannis in monte, bello Morinenſi de vetere domicilio deiectis Cæſar Carolus. Siue itaque hoc nouorum inquilinorũ odio, ſiue quòd imminutam veteris hoſpitij pietatem homines quererentur, ſiue quòd vota nuncupari peregreque

*Templorũ direptio per agrum Caſletanũ in Flãdria*

*Bailioli.*

que

que ad eum locum venire multi cõsueſſent, magna erat huius monaſterij per ea loca inuidia. Cùm itaque hæc illa, quę oſtẽdimus, à Miniſtris proponerentur, in idola continuè clamaretur, feciſſe id circa Caſletũ nonnulli nunciarentur, tum equidem è viliſſimorum peſſimorumque hominum colluuie inuenti ſunt nonnulli, qui menſe Auguſto monaſterium inuaderent, imaginibus ſtatuiſque grauiſſimorum verborum contumeliis inſultarent, huic enſem in latus infigerẽt, huic ſecuri caput tentarent, pendentem è cruce Chriſtum funibus è ſublimi detraherent, non ſequentem mori meticuloſum Deum nolle exclamarẽt, altaria ſubuerterent, pollutis ſacrilegiſque manibus in ſacroſanctum Domini corpus inuolarẽt, damnatiſque proiectum pedibus conculcarent, ſacros calices vino implerent, ſociis laborantibus propinarẽt, libros atque veſtes vel conſcinderent vel auferrẽt, culinam, apothecas, cubicula occuparent, pecuniam, ſupellectilem furto auferrent, cibum quem abſumere minus poſſent, per ſummam libidinem profunderent: exultare ad eam hominum fortitudinem miniſtri, zelum domus Dei, grauem in idola Dei iram prędicare, imitari Baliolanos vicini vndique pagi, hinc ducibus Iuliano & Iacobo miniſtris Stegerium venire (eſt is Flandriæ ad Liſam peramplus vicus in dominio Annæ Palantiæ viduæ Glaionij) concionari ibi ſub dio hic Flandricè, ille Gallicè, vixdum inchoata concione in vicinas eccleſias parem edituri ſtragem homines irrumpere. Erat is Aſſumptioni Beatæ Marię Virginis ſacer dies, feria-

*Sacrilegij per vicinos vicos progreſſus*

feriataque ingens prædonum, atque furum multitudo coïerat. Re itaque vt ferebant præclarè gesta, in Abbatiam Messinensem, inde in ditionem Laleuanam tota ea se colluuies effundit, hinc Lysam transgressa per agrum Insulensem, Seclinium vsque celeberrimū honestissimo canonicorum collegio eius ditionis vicum excurrit: Non ferunt eam iniuriam Seclinienses, Goudecuriani, VVauriniani, cæteriq. eius oræ nouis Religionibus perquàm infesti rusticani homines: Nullo certo imperio rapere arma quæ fors obtulisset, vno agmine diuersis è locis Secliniū omnes properare, obuios in paludes concitare, atque ilthic vel flumine præcipites submergere, vel ferro enecare, pauci abiectis armis retrò domum reuerti. Repressa itaq. hunc in modum sacrilegij impietas, vltrà per ea loca non progreditur: nihilo tamen cæteris locis Flandriæ quietiores Ministrorum operæ. Erat tum Ipris Egmondanus Comitatus Maximiliano Vilano Domino Rassengenij, qui Domino Courtrij defūcto pręfecturā Insulanam, Duaci, Orchinij fiduciariam à Rege acceperat, Maldegemio, Mouscronio, Hollebecquio, Dixmudano, aliis item Flandriæ nobilibus nōnullis multa Egmondanus de vrbe in officio retinenda deliberat, Idibus Aug. populo in forum accersito, leges ex magistratus sententia nonnullas promulgat, rogatus num si vim hęreticos tēplis facere contingeret, vi armata coërcere eos oporteret, cōtractis scapulis, de vi inferenda mandâsse sibi rem vllā Parmensem negat. Digresso itaque Egmondano, primi magnarum vr-

*Sacrilegorum ad Seclinium cædes.*

*Ipræ & occidua Flandria.*

rum vrbium Iprenses hanc illam quam Baliolani turpissimam sacrilegij in se iniuriam recipiũt: sequuntur exemplum Gandauenses, & per occiduam Flandriæ regionem, vrbes atque pagi plerique, ita rem eam excusante Egmondano, vt necessariò proficisci se Bruxellam ad eum quem dicebamus XIII. Calend. Septemb. debuisse affirmaret, neque vnum sese inermem tantam insanorum hominum multitudinem coërcere iis infidis Reip. temporibus potuisse ostenderet, multa quoq. prudenter à se curata, Brugas, Curtracũ, Alostum, Gerardimontum conseruatas à se vrbes commemoraret: qua quidem de re quid sentias difficile: quid dicas difficillimum existit. Est enim nimis quàm intricatus Reip. semel cõturbatæ labyrinthus, quem qui imperitè semel sit ingressus, excedere nisi perforatis muris per graues ruinas periculaq. difficulter possit. Et quidẽ hoc illud ea rerum varietate Egmondanus consequebatur, vt Catholici desertos sese clamitarẽt, Caluinistę contrà detracta diplomatibus Egmondani signa nouis tabulis appenderent, iis imaginum deturbationem imperarent, vexilla militaria Egmondani circumferrent, Principem suorum consiliorum Egmondanum affirmarent; rursum si seueriùs Egmondani imperio in seditiosos quid constitueretur, perduellem, ac proditorem Egmondanum profiterentur. Atq. hæc in Flandria. Antuerpia vt ostendimus) iam inde à mense Maio vterum gestârat, inde mense Iulio sex agrariis cõcionibus intumuerat, accesserant Lutheranorum & Caluinistarum intra vnum Antuerpia.

vnum vterum concertationes: necessariò itaque prodire Flandriæ exemplo in lucem infaustum partum oportebat. Solénes annuæ festo Assumptionis B. Mariæ Virginis vrbicę supplicationes de more peragebantur, sacra pompa comitata, magistratu, opificum, sagittariorum, gladiatorumque collegiis: id habebat caput pompæ, vti imago Beatę Marię Virginis humeris sublata per vicos gestaretur, inde in sacram ædem relata, extra chorum medio templo collocaretur, magnaque hominum veneratione in sacri diuiniq. partus memoriam per imaginem ea coleretur, quam beatam dicunt omnes generationes, quæq. amplissimum augustissimumque id est nomen sortita, vt natura atque orbe admirante, Dei mater nominaretur. Ferre eum typicum honorem longissimè à veterum Græciæ Impp. pietate dissidétes homines difficulter possunt: Sic enim triumphare deuictis hostibus solitos Impp. Nicetas cõmemorat, vt sublimem aurato curru Dei matris imaginem collocarent, eam pone religioso & ad pietatem composito vultu in vrbem inuecti sequerentur. Multis itaque verborum contumeliis sacram pompam non obscuris vocibus spectatores cumplures proscindunt: Beatam Virginem (vt vxores ex maritorum opificio cõsuêrunt) Mariolam fabri salutant: accendũt animos Ministri, fugienda non animo modò, sed & corpore idola: eradicari, extirpari tãtam summi Dei contumeliam oportere affirmant. Quinto itaq. die pòst, Orãgio biduo antè Bruxellam ad illum quem dicebamus XIII. Cal. Sept. vrbe digresso,

post

post preces vespertinas nebulones nonnulli sacram ædem B. Virginis ingressi insanis clamoribus vocibusque toto templo concertant, imaginem Beatæ Mariæ compellant, si Viuant Geusij clamaret, parcituros se miseræ affirmant, æditúis insultant, cum Catholicis rixantur : excitus ad eum rumorem magistratus, initiò apparitores, pòst è suo collegio certos in templum nullo fructu ablegat. Sub vesperam itaque hora sexta, occlusis templi foribus præeunte quodam Centurione, qui tutandarum concionum munus tenebat, sublata voce ad numeros Geneuenses psalmum auspicantur eo signo, vt carminibus emota mente, sic in imaginem Beatæ Mariæ, cæterasque furibundi insiliunt, Christum vnà cum cruce funibus detractum in frusta comminuũt: Latrones (suos equidem Deos) relinquunt, sacrosanctum Christi corpus horrendis contumeliis, Album Ioannem cauponem ad dimidiam lunam (horret animus) compellant, optimorum præstantissimorumque pictorum monimenta confringunt, religiosa iure gentium mortuorum sepulchra deijciunt: Regis deiectis, solis iis tabulis parcunt, quibus equites aurati velleris notarẽtur. Nihilo inde res quietiores, pauci nebulones nemine repugnante direptis totius vrbis templis, monasteriis, sacellis, quiduis pro arbitrio totos dies tres committunt, cibos quos absumere non possunt, profundunt, in vinum & ceruisiam immingunt, libros bibliothecarum nullo discrimine conscindunt, pecuniam, vestem, supellectilem sacrã, prophanam furantur, nihil postremò præter cædes ad

des ad

des ad ſummā ſibi iniuriam reliquū faciunt. Conciones eodem quo Orágius diſceſſerat die in vrbem migrârant, inde templis hunc in modū direptis, B.Marię quidā Hermānus Stuycker Zvvollanus omnium peſſimorū longè peſſimus ac ſummè ſeditioſus miniſter Caluiniſta, vti per hoſtiū cadauera ſic ouans inuadit. Faciunt idem templo S.Georgij Lutherani. Antuerpiēſium (vt ferebatur) præclarum facinus ſequūtur Buſcoducenſes, Lirani, Gandauēſes, Tornacenſes, Valencenenſes, vrbes Geldriæ, Hollādiæ, Zelandiæ, Phriſięq. cōplures ea celeritate, vt intra decem aut ſummum duodecim dies, tot vrbibus atq. locis res iſta cōficeretur, ea morbi ſimilitudine, vt quibus locis ea lues graſſaretur, magiſtratus conſilij incertus, palàm ſeſe tāti ſacrilegij hoſtem profiteretur: rem aliam ad homines coërcēdos (quòd vt in tenebris, ſic incertis ſuſpicionibus fluctuaret) idoneā nullā adferret: ſacrilegium atq. crimen palàm inſpectāte tota vrbe perpauci, atq. ij facinoroſi vel obſcuriſsimi viliſſimiq. nebulones vt plurimùm perpetrarent. Hîc pſittaco ſacroſanctū Domini corpus porrigerēt: Hîc ex ordine collocatis imaginibus ignem ſubijcerent, cadētibus inſultarent: Hîc ſtatuis arma induerent, in armatos depugnarent, deiectos, Viuant Geuſij clamare imperarēt, vt ad ſcopum ſic ad Chriſti imaginem iaculaturi collimarent, libros bibliothecarum butiro inunctos in ignem conijcerent, ſacris veſtibus ſummo ludibrio per vicos palàm vterentur. Fœderatis, vt oſtēdimus, XIII. Cal. Sept. Parmēſis conſtituerat. Cùm itaque res iſtas facere vulgus hominū Parmenſis

*Buſcōducis Lira. vrbes Geldriæ, Hollandiæ, Friſiæ cōplures.*

mensis animaduertit, tum equidem de fœderatis id existimauit fecisse eos homines, vt cùm libello ex sententia minus satisfieret, clàm agrarias sibi ad terrorem conciones procurarent: Pòst cùm illa quę ostendimus postrema flagitâssent, & hę essent XIII. Cal. Sept. constitutæ, procurâsse denuo vt in hos grauissimos tumultus res erumperent: contrà fœderati procurâsse se res eas constanter negabant, causam cur cõtinendis in officio hominibus minorẽ quàm postularetur operã impenderent, eam adferebant, quòd vererentur ne oppressis mercatoribus atq. plebe è vinculis coram Inquisitoribus iudicibusq. caussam sibi dicere de hæresi, deq. maiestate sit necesse, facereq. necessariò Parmensem antè debuisse, vti quibus de rebus monuissent, idoneè sibi caueret. Veniunt itaq. Bruxellam præter Arschotanum, qui morbum Mõtibus simulabat, Arembergium & Megemũ, qui Geusiorum sese hostes gerebãt, nec discedere quibus pręessent prouinciis volebãt, cæteri aurati velleris equites. Veniũt item hi duodecim quos cõmemorauimus vnà cum Ludouico Nassouio, qui vulgari scommate duodecim Apostoli dicebantur: XII. itaq Cal. ab hora septima matutina in horã duodecimã frequẽti senatu de re tota Parmẽsis deliberat, Geusij maiora indies grauioraq. proponũt, ad singulas horas nouarum vrbiũ tumultus denunciãtur, Geusijférociter de milite à se cõscripto, de societatibus susceptis, multa palam cõminantur, circa Bruxellam per agros ita homines tumultuantur, vti vrbi, ipsis adeo Palatij Ecclesiis timeretur.

*Fœderati de cautione cum Parmense deliberãt.*

*Bruxella metu fugere Parmensis cogitat.*

Parmensi ita quoque incerti rumores comminã-tur, vti Viluordiam abductæ appositurí custodes Geusij dicerentur. Cùm itaque tertium iam se diem frustra laborare Parmensis animaduertit, consternata, consilium sola sibi capit, supellectilem componit, Montes in Hannoniam cogitat. IX. Cal. Sept. summo manè Orangium, Viglium, Assomuillium accersit, proficisci se velle ostẽdit, non placet profectio Senatoribus, fugæ simillimam profectionem institui iis lubricis temporibus non oportere ostendũt: si discederet, auctoritatem Senatui nullam superfuturam: si Senatus sequeretur, grauissima rem eam incommoda allaturam affirmãt: Non esse quod metueret, iurare se, Orangium cæterosque antè sibi vitam esse homines erepturos, quàm inferri vllam vel leuissimam Parmensi contumeliam paterentur: Quin supplex vrbis magistratus ne se deserat orat atq. obtestatur, vrbem in officio ita futuram ostẽdit, vt cui velit militari imperio parituram eam duci militem admissuram, ciuium delectus eius arbitratu habituram affirmaret. Discedit itaq. à sententia Parmensis, Comitem Mansfeldanum vrbi præponit, de militibus rem constituit, totumque eum diem ita cœptæ Geusicarum rerum deliberationi impẽdit, vt modò recusans, modò discedens, modò precibus in Senatum reducta, ægrè adduceretur, vt i extracto in horam primam nocturnam Senatu cum fœderatis, hisce legibus paciscceretur: Initiò, placere vt cesset Inquisitio, de qua fœderati quererẽtur: Deinde probari, vt pro iis legibus atque edictis (de quorum item seueri-

*Comes Mansfeldanus vrbi Bruxellæ præfectus.*

*Parmẽsis cum fœderatis paciscitur.*

tate

tate quererētur) nouæ leges edictaq. scriberētur. Verùm num id ex Ordinum generaliū sententia, vel qua alia auctoritate sit futurū, affirmare Parmensem idcirco nōdum posse, quòd sententiam hac de re suam Rex nōndū perscripserit: Quòd de securitatis cautione postularetur, ea se mādata à Rege accepisse, quibus amplissima cauendi sibi auctoritas esset attributa, ex eorum itaq. mandatorū auctoritate promittere se fœderatis, nulli, neq. fœdus, neq. libellum, neq. quæ fœdus libellúmve in hunc essent diem cōsecuta, culpæ damnóve in posterū futura; idq. ea se conditione promittere, si in officio fœderati sunt futuri, fidē Regi sunt præstaturi, quantam poterunt, tantam in coërcēda seditiosorum hominū temeritate sunt operā collocaturi; Sacrilegia, cæteramq. Religionis, clericorumq. cōtumeliam bona fide propulsabunt: Arma deponere cōmotam plebem bona fide procurabunt; Conciones quibus locis nullę haberētur, haberi in posterū nullas sunt passuri: Quibus contrà locis (vtar iisdem verbis) de facto conciones haberētur, arma, scandala, atq. omnem omnino publicam contumeliā cauebunt: Peregrinos atq. omnes omnino hostes arcebunt, qua postremò apud nouæ Religionis studiosos homines sunt auctoritate, id sunt conaturi, vti Regi ex Ordinum generaliū sententia de Religione, deque Rep. decernēti, parituros sese hi homines recipiant. Res istas si fœderatorum delegati suo mandatorumq. nomine iureiurādo cauerent, ratam eam Parmensis cautionem futuram. Octauo itaque Cal. Sept. sacramenta in eam sententiam

fœderatorum legati apud ſtipulâtes Orangium, Egmondanum, Hornanum, Hachicourtium & Chriſtophorum Aſſomuilliū,dicunt vti facturos ſe ſuosq.mandatores res eas reciperēt, fœderi libelloq. tandiu renūtiarent,quādiu ea eſſet à Parmenſe promiſſa cautio valitura. Atque hic eſt ille memorabilis contractus,qui cōtrà quàm hæretici futurū exiſtimârant,omnes omnino ſeditioſorum hominū conatus eliſit. Et quidem cur ægrè impetrari hanc à ſe formulā Parmenſis pateretur, ea equidē ratio exiſtebat, quòd ſiniſtrè ita interpretaturos rem homines affirmaret, vti publica auctoritate haberi conciones ita demū iudicarēt, ſi vis,ſeditioq. à conuentibus eſſet abfutura,cōtrà quàm eſſet ſua ſententia, qua nō rem eam definiret, ſed fœderatis quid præſtare eos oporteret, præſcriberet. Quod vt maximè ita exiſteret,multaq.eſſent à Parmenſe contra hæreticorum conciones prouiſa prudenter,conſtituta fortiter,fuit ea nihilominus tum vulgo fama, Parmenſem in cōciones conſenſiſſe,populoq. omnem eam culpam condonâſſe: cuius equidem calumniæ fama hinc eſt exorta. Decimo Cal.Sept. frequēte ſenatu de Rep. Parmenſis deliberabat,de re propoſita in hanc formulam ſententia perſcribitur : Parmenſis animo ſecum reputans ineuitabilem rerū neceſſitatem,quam proceres eiuſcemodi exiſtere aſſeuerarent, vt nulla ratione in præſens vel ſedari plebs, vel ab armis abduci idcirco poſſit, quòd armis depoſitis, pœnas coërctionemque metueret, proceribus permittit, vti populo denuncient, quoad Rex ſententiam hac de re ſuam perſcri-

perſcripſerit, neque vi armata, neq. via facti, (ſic enim loquebatur) conciones quę de facto nunc haberentur (ſi inermes & ſine vllis motibus ſcandaloque haberentur) ſeſe diſturbaturam. Quæ ſententia quàm id non contineret, quod de permiſſis concionibus diceretur, facilè per ſe intelligere homines poterant, neque illi qui turbarum principes exiſtebant, tam erant rerum imperiti, vt non etiam id aſſequerentur, ſed errare populum tum equidem vtrique boni atque mali cupiebāt: Mali: ne plebs metu pœnarum ab incœpto deſiſteret; Boni, ne peiora auſa contempto ſemel omni imperio frena de manibus ſibi excuteret, recuperarique inde in poſterum auctoritas difficulter poſſet. Rebus itaque hunc in modum procuratis, edicto hanc ſuam cum fœderatis concordiam Parmenſis promulgat, de officio homines commonefacit, adfuturum breui Regem oſtendit: ſeueris grauiſſimisque item legibus ſacrilegis templorum direptoribus pœnas conſtituit, magiſtratibus vrbibusque in ſcelus conſentientibus priuilegiorum ademptionem comminatur, verſari cum telo niſi eos homines non permittit, quibus iure res ea liceret. Bruxella iis temporibus, vti oſtendimus, incerto metu variè trepidabat, nouarum Religionum ſtudioſi homines, prę Catholicorum ingenti multitudine perpauci tāta vrbe exiſtebant, tamen quòd vnius aut alterius inſolentia plus habere admirationis quàm infinitorum modeſtorum hominum vita conſueuit, fiebat, vti per iſtos paucos quies concordiaque laboraret: decimo Calend. Septemb. tria

*Parmēſis edicta.*

*Bruxella motus.*

(vti isthic loquuntur) vrbis membra, quibus vniuersa ea ciuitas describitur, in ædes publicas, quæ sunt ad forum, cum quinque aurei velleris equitibus, nonnullis Cancellariæ Brabantinę senatoribus, frequente honestissimorum ciuium multitudine, de vetere Catholica Religione retinenda, hæreticis coërcendis, præclaras fortissimasq. sententias dixerant, VIII. nihilominus die Cal. cùm circa Viluordiam ad primas nouæ fossæ cararactas conciones futuræ dicerentur, neq. portis occlusis egredi eo die ciues permitterentur, inuenti sunt nonnulli, qui iniuria arceri sese à concionibus causarentur, quas publica auctoritate Parmensis confirmâsset. Refert rem ad Parmensem magistratus, respondet Parmensis, velle vti pactis fœderati, cæterique fruerentur. Responsum in eam sententiam hæretici accipiunt, vti probatas eo responso conciones affirmarẽt: Denuo itaq. coacto magistratu, de re tanta deliberatur, Catholici, quod futurum vererentur vti hæreticorum insolentiæ magistratus cederet, ingenti hominum multitudine in curiam conscendũt, triũm membrorum auctoritatem, Dei atque vrbis iniuriam, suam postremò contumeliam libellis sermonibusque ostẽdunt: repetitis itaq. trium membrorum comitiis, tota vrbe atque agro Bruxellensi conciones deturbãtur, ciuibus omni peregrinæ Religionis vsu interdicitur. Probat comitiorum sententiam Parmensis, Magistratum populumque collaudat, Mansfeldano vrbis militare imperium confirmat, delectis mille octingentis peditibus, è quibus trecenti Regiis, mille

vrbis,

vrbis,quingenti clericorum stipendiis militarẽt, pręfectos Philippum Lannoium Dominũ Beauuorij, Balduinum Gaurium Dominum Inchij, & quendã Hannoniæ nobilem Hameddium cõstituit:Equites item cẽtum fratri Comitis Lignij Domino Estambrugij attribuit:Inde diebus aliquot pòst,cùm decimo Cal.Sept. digressus Madritio ex Hispaniis tabellarius, quarto Nonas Bruxellam venisset, literasq́ue de nata Regi filia attulisset, solenni pompa ad ædem Diuæ Gudulæ auctiore apparitorum numero, stipataq́ue ingenti armatorum militum corona, temploq́ue milite completo gratiis D.Deo peractis, hymno decantato, mysteriisq́ue Christianæ Religionis ritè procuratis, concionantem Fratrem Ioãnem Ghery celebrem iis temporibus Franciscanum Parmensis audiebat. Atque ista equidem ratione fœderatis Parmensis satisfaciebat:de proceribus (quorum auctoritas omnẽ in partem plurimùm valebat) haud ita expedita res erat antè quàm tumultuari palàm homines inciperẽt, (siue vti singulorum animos exploraret, siue vti plebem eo faciliùs in officio cõtineret) iurisiurãdi eam formulam proceribus Parmensis proposuerat, qua verbis ritè conceptis, denuo Regi fidem confirmari postularet. Orangius aliiq́ue nonnulli indecorè à se rem eam postulari asseruerant, iurâsse se cùm in Velleris Ordinem sunt cooptati, cùm prouinciarum administrationẽ sunt adepti, cùm in Senatum sunt allecti, nullam existere ne leuem quidem causam cur toties iuratis nõ crederetur, neque si denuo iurâssent, maiorem futuram eius

*Proceres nouis sacramentis Parmẽsis nonnullos obstringit, nonnullorum fidem explorat.*

noui ſacramenti Religionem,quàm priorum extitiſſet: cæteri nihilominus,& in his Egmõdanus aliquandiu initiò tergiuerſatus, nouis ſeſe ſacramentis obſtrinxerāt. Inde cùm in eos quos oſtẽdimus rerũ motus res erupit,tum agere cũ proceribus Parmenſis ita inſtituit, vti dubiis atq.incertis conſiliis perire Remp. profiteretur:magni intereſſe oſtenderet, antè quàm Rex aduemat,vti bonorũ ſubditorum operà reſtitutam Religionẽ publicarumq.rerũ quietem inueniat:Palàm itaq. atq.ingenuè ad Regis ſeſe voluntatẽ componerent,Religionem procurarent, ſeditiones vi atq. armis coërcerent. Accipiunt cõditionem nullis verborũ ambagibus Arſchotanus, Mãsfeldanus, Arembergius,Megemus,Hachicourtius, Barlaymontius,alij nonnulli,nullaq. ſeſe exceptione in Règis ditione poteſtatéq.futuros oſtẽdunt: Cõtrà Orangius cæteriq. de ſua in Religionem obſeruantia,in Regẽ ac Parmenſem obſequio multa prolocuti,cauſas cõplures commemorant, cur imperij moderatione atq.Ordinũ generalium decreto,non etiam armis tẽtari rem oporteret,multa quoq. de bellorũ ciuilium calamitatib. & Galliarum exemplo & vetere memoria recordantur. Noircarmius Audomari in Arteſia præfectus, & abſente Marchione Hãnonię procurator,magnã iis temporib. penes Egmõdanum auctoritatẽ tenebat,multumq.eo Egmondanus vtebatur: cùm itaq.hoc eſt quod dicebamus à Parmẽſe propoſitum,tum vti Parmenſi pareret, atq.in eas partes ſecederet ſtudioſè Egmondanum Noircarmius eſt cohortatus:reſpondent qui tum fortè Egmõdanum

*Noircarmius Parmensi totum se tradit.*

danum comitabantur : Quin tu hoc age Noircarmi, tu hoc si libet bellum ciuile auspicare. Ibi tum Noircarmius ; Omnino si hoc est mihi vel Rex, vel Parmensis imperatura , nę ego in istos seditiosos homines pro Religionis atque Regis amplitudine libenter arma sum sumpturus. Assentitur Egmondanus, Noircarmiumque quæ laudaret sequi consilia bona sua cum venia permittit, ea in posterum rerum commutatione, vti Noircarmius vir ingenio acer, iudicio exactus, incredibili fœlicitate, ad illustres Belgicarum rerum dignitates eueheretur, Egmondanus contrà, è sublimi quo consistebat dignitatum fastigio deiectus, supremæ rerum humanarum calamitati caput submitteret. Hunc itaque in modum è summis rerum periculis in quietiorem sese nauigationem Parmensis coniecit, Bruxellam contra vim atque insidias communiuit, fœderatos mutuis dissidiis distractos ad se complures, à tumultuante plebe plerosque abduxit, fœdus in vniuersum eneruauit, proceres vel ad se transduxit, vel metu rerum futurarum incertos consilij, multis aulæ officiis multaque spe, à rerum nouarum apertis studiis reuocauit: Inde vt viribus resumptis sic agere per se rem præclarè est aggressa: Egmondanum in Flādriam: Antuerpiam Orangium: Mechliniam Hoochstratanum: Tornacum Hornanum: Valencenas Noircarmium ad res curandas transmittit. Quin fœderati Geusij, quòd operam sese daturos rei restituendæ promisissent, ita nulla Parmensis auctoritate operas inter se partiuntur,

*Auctoritas Parmensis restituta.*

*Proceres in prouincias proficiscuntur.*

*Fœderati ad res pacandas in quas videretur vrbes priuata auctoritate proficiscuntur.*

vti in ſingulas commotas vrbes nonnullos è collegis vel ablegarent, vel vltro ſe ſolis auctoribus futuri rerum arbitri proficiſcerentur. Quam illorum rationem quid ſit conſecutum, tum equidem explicabimus, cùm nonnulla de earum prouinciarum atque vrbium fortuna erunt à nobis commemorata, quę officium iis calamitoſis temporibus egregiè pręſtiterunt. Neque enim in ſolis patriæ opprobriis verſari narrationem oportet, cùm maximarum virtutum fortitudinisque cumprimis illuſtria iis tẽporibus exempla multa extiterint. Et quidem prouinciæ Lutzẽburgum, Arteſia, Hannonia: vrbes, Inſulæ, Duacum, Orchinium, Namurcum nullam huiuſcemodi in ſe contumeliam admiſerunt: Brabantia multò maiorem Ducatus portionem, quę Louanio & Bruxella deſcribitur, magna cum laude immunem item habuit: In Flãdria, Brugæ, Curtracum, Grauelinga, Duncerca, Aloſtum, Tenramonda, Gerardimontium officium præſtiterũt. Caſembrotius vnus è fœderatis Egmõdano à conſiliis cùm Iconomachos circa Gerardimontium nonnullos offendiſſet, collecta (vt re ſubita poterat) perexigua ruſticorum manu, cæſis duodecim, viginti vulneratis, è captiuis quinquaginta, vno & viginti ſuſpenſis, reliquis virgis cæſis, ingentem factioſis hominibus metum incuſſit. Mechlinia iis temporibus Religionis Catholicę perquàm ſtudioſos ciues habebat, verùm quòd vnum haberet atque alterum malè ſanum Penſionarium (ſic enim magiſtratuum ordinarij perpetuique aſſeſſores Iuriſconſulti, à ſtipendio penſionéque nominan-

*Prouinciarum atque vrbium aliquot Catholicarũ narratio.*

*Caſembrotius Iconomachos ad Gerardimontium cædit.*

minantur) Aduocatum item percelebrem malæ fidei vnum item & alterum, effugere eam tempestatem ita non potuit, quin pauci nebulones sint inuenti, qui Carmelitis & Fráciscanis palàm vim facerent, eorum monasteriorú templa diriperét, inde vrbe digressi, in vicina vrbi monasteria pro arbitrio grassarentur. In Geldria, quæ qua ratione sese vrbes sint tutatæ difficulter dixerim, neq. mihi ea res studio fuit. Neomagi equidem cumprimis illustris iis téporibus ea laus fuit, vti magistratui præclarè imperanti fortiter ciues parerent, concionatores vrbe profligarent, Societate sancti Nicolai suspectos homines mouerét, Comitem Megemum in vrbem adducerent, consiliaque Religioni officioque retinendo peroportuna susciperent. Culéburgij Comiti nouam Religionem meditanti fortissimè honorati quique ciues restiterunt, Comitique erudito libello pericula, quæ pòst acciderunt tanto antè demóstrârút. Vltratraiectum celeberrima eo tractu ac perillustris ciuitas antè quàm è subito atque inopino metu colligere sese posset, quatuor Ecclesiarum Baptismalium, duorum Monasterioru, Dominicanorum & Franciscanorum contumeliam ita est perpessa, vti loca cętera prudente Canonicorum ciuiumque fortitudine ab iniuria conseruarentur. In Hollandia, magna quoque iis temporibus fuit Dordraci, Harlemi, Goudæ & Gorcomij gloria. Per Zelandiam Phrisiamque inter Lutheranos, Caluinistas, atque Anabaptistas variè res iactabatur, Catholicorumque per ea loca multorum hominum constantia atq. virtus prædicaba-

dicaba-

dicabatur, quas quidem singularum vrbium atq. hominum virtutes cõmemorare & prolixius est quàm vt instituto conueniat, & ad motuum nostrorum causas intelligendas (quã rem nobis explicandam præscripsimus) minus pertinet: ad cætera itaq. reuertamur. Hæretici (vt oſtẽdimus) ab agrariis cõcionibus instante hieme in vrbes trãsierãt, inde templis Catholicorum occupatis, Catholicos de Religionis vsu deiecerant: cùm itaq. & hanc Catholicis iniuriam fecissent, neq. tenere se, quam hominibus coactis per turbam seditionemq. vi armata alienam essent possessionem adepti, diu sese posse animaduerterent, necessariò à prouinciarũ pręfectis, vrbiumq. magistratibus leges acceperũt: quo in genere quinque modò amplissimarũ vrbium Antuerpiæ, Gãdaui, Amsterodami, Tornaci, Valẽcianæ exempla libet recensere: sunt enim vti marium, magnorumq. fluminũ, sic maiorum vrbium maiores motus, cæteriq. eorum cõparatione ęstimari nõ difficulter possunt.

*Pacta cũ hæreticis varia per singulas vrbes.*

*Antuerpia.*

Antuerpia cæterarum vrbium oculos cogitationesq. vna in se conuerterat: Caluiniani, qui in VValonicos atq. Flandricos cõuentus distinguebantur, pręter S. Georgij, quod Lutheranis cesserat, pleraq. vrbis templa tenebant. Tertio itaque die pòst quàm religiosi isti homines qui idola abominari consuêssent, sacrilegia quæ ostendimus fecissent, nouarum Religionũ ministri scripto apud magistratũ de vi, de furtis, de cæteris criminibus purgare se instituũt, futuros se in magistratus potestate tẽplisq. decessuros ostendunt, si cõtra Dei verbum rem nullam magistratus imperaret, si

ret, si à contumeliis Catholici abstinerent, si ex omni templorũ numero quantus sufficeret sibi tribueretur. Non respondet magistratus, blanda nihilominus oratione per Iacobũ VVesembeckium Pensionarium restitutionem templorum B.Marię & S.Georgij, inde sub vesperã aliorum item duorũ B.Michaëlis & Iacobi à ministris impetrat. Aberat tum Antuerpia Orãgius eius vrbis Vicecomes, Regiusq. extra ordinẽ pręfectus: cõstituere itaq. eo absente rem nullam magistratus volebat. Primum itaq. quod reuerso Antuerpiam Orangio negociũ sese offerret, erat libellus quo ministri iniuria grauissimorũ sese criminum reos fieri quererẽtur, esse eum multorũ sermonem affirmarẽt, vti concionibus concitatos à se homines ad idola subuertẽda profiterentur: (sic enim hi præclari nomenclatores sacras eorũ qui vixissent depictas imagines inuidiosè compellabant) monuisse sese equidẽ cùm non ita pridem soléni põpa per vrbem procederetur, vti homines non modò animo, sed & corpore ab idolorũ ministerio abstinerẽt, domiq. sese dum procederetur cõtinerẽt, rem eam ad idola subuertenda non pertinere. Accusari se præterea quòd magistratui auctoritatem minuerẽt, vectigaliũ onera culparẽt, de curia inuadenda, magistratuq. mouendo cogitâssent, adferri illud postremò ad grauẽ suam cõtumeliam, vti in posterũ nullum Romanę Religionis ministeriũ passuri dicerentur: Deum sese hominesque testari, earum rerum ad se culpam nullam pertinere, Orangij, Magistratúsq. id esse officiũ, vti ne innocentissimorũ hominũ famam ad cer-

*Ministrorum Antuerpianorum postulata & querimoniæ.*

ad certam pręclarissimę vrbis contumeliam violari patiantur: auditores ad suas quas haberent conciones transmitterent, futurum vti ea imperantes ministros sint audituri, quæ æquis sint iudicibus satisfactura, repetitis quoque sacramentis fidem esse ciues Regali Maiestati Regis Hispaniarum, vt Duci Brabantię (libet enim iisdem vti verbis, quibus illi tam in speciem Regis obseruantes homines tum loquebantur) suæ Excellentiæ vt Vicecomiti (Orangium volebant) magistratuiq. obstricturos: quas equidem res cùm facerent, tum id committi non debere, vti templis cœmiteriisque, quæ iure ad ciues pertinerẽt, boni ciues arcerentur. Respondent libello Orãgius & magistratus: Placere vt in publica cœmiteria mortuos inferrent, de templis cæterisque de rebus cum nouæ Religionis delegatis videretur. Inde Prid. Cal. Sept. Orangij magistratusq. imperio, Inquisitionem edictorumque sanctiones Regem abrogâsse, nouasque ex Ordinum generalium sententia leges esse cõscripturum, populo denunciatur. Pòst tertio Non. Sept. Catholicos atque hæreticos in suam tutelam atque fidem Orangius magistratusque accipiunt, leges de ciuibus in officio retinendis, Religionumque libertate promulgant: Nonis postremò rem cum Caluinianæ factionis delegatis in hanc sententiã constituunt: (erant autem hi delegati Teutonũ, Marcus Peres, Carolus Bombergius, Hermannus Vermerius, & Cornelius Bombergius: VValonum, Franciscus Godin, Ioannes Carlier, Nicolaus du Viuier & Nicolaus Sellin) Initiò vete-

*Pacta cũ Caluinistis Antuerpiæ suscepta.*

rem

rem Catholicam Religionem nemo turbâssit: Omnibus omnino Catholicorum ecclesiis, omnibus veteri Religioni dicatis sacratisq. locis excederent: Noua vrbe, quibus iam locis consuêssent, agro Pauli Gemertij ad forum equinum, ad vvapperam agro Domini Likerckij, pratisq. Xenodochij ad hortum sodalium Sclopetariorum Religione sua vterentur: Per ea loca diebus Dominicis atque festis, die item Mercurij (si festus ea hebdomada dies nullus existeret) concionari vna eademque hora permitteretur: Ad singularum concionum functionem habere nisi binos ministros non liceret: Ministros vel qua Regis ditione natos, vel potentioris cuius vrbis ciues esse oporteat: Quoad Antuerpię sunt futuri paritures se negociis ciuilibus Orangio magistratuique ministri iurabunt: Cum telo illicito ad conciones homines non vẽturos: teli illiciti cõpellatione nec pugionem, neque gladium contineri, seditiosas cõciones nullas habituros, si quæ vel stabiliendis Religionis dogmatibus, vel in corruptos hominum mores dicerentur, ad seditionem eos sermones non pertinere: Nouis Ministrorum, Seniorum, Diaconorumque lectionibus, cæterisque grauioribus consistorij deliberationibus quem volet Orangius, è magistratu vnus est interfuturus: Ab opprobriis atque iniuriis diuersarum Religionum homines abstinebunt, si cui iniuriam fieri contingat, eam propulsare etiam diuersæ Religionis ciues teneantur; Si iure legitimo in tẽplorum direptores magistratus est animaduersurus, quo minus eo iure cognoscat,

nulli morarentur: Illicito cum telo ad conciones nemo veniret: Diebus dominicis festisque; sin dies ea septimana festus nullus existeret, die Mercurij concionari permitteretur. Ministri Belgæ nisi bini non existerent: Peregrinus si quis se minister offerret, antè ciuem eum fieri oporteret, quàm exercere id ei munus permitteretur: Ab iniuriis, libellis famosis, cæterisque contumeliis abstinerent: Cadauera quo vellent ritu in Minoritarum cœmiterium inferrent, sin alio quàm Minoritarum cœmiterio inhumari postularent, vel ritu Catholico, vel nullis omnino ceremonijs funus procurarent: Catholicis vetere ritu inferre cùm in cætera, tum in Minoritarum cœmiterium cadauera permitteretur. Si ea pacta Regi non probarentur, discedendi, bonaque auferendi facultatem futuram. Hisce itaque rationibus præclarissimæ tres vrbes præsenti sese metui subduxerant, Catholicisque eam quietem procurârant, vti templis restitutis nouas sibi ædes magnis impensis quærere Hæretici cogerentur. Sequuntur exemplum vrbes reliquæ, pactaque in eandem penè sententiam, præter Tornacum & Valencianam, omnes suscipiunt: Ita non probante ea pacta Parmense, vti iniuria præter conciones permitti reliqua nouæ Religionis ministeria, neque omnibus omnino Catholicorum excedi templis, nouisque Religionibus loca publicè designari quereretur, palàm iis nihilominus tum equidem pactis non refragaretur. Et quidem Orangius, cæterique eorum pactorum laudatores, cur probari id suum consi-

*Permissis Orangiiq. de iis pactis sententia.*

R

consilium oporteret eam rationem adferebant: Quòd commota seditionibus Rep. non iam populo de officio dimoto relinqui publicarum rerum administrationem conueniat, at eam tenere viros prudentes cautionem oporteat, vt nonnulla commotis hominibus concedendo, cõuulsam summi imperij auctoritatem in integrũ quibusdam veluti gradibus paulatim restituant. De quo equidem axiomate cùm veterũ tum nostrę Reip. *Seditionũ genera duo.* exemplis dici non incõmodè multa possunt. Sũt enim seditionũ publicorumq́. motuum duo genera: Vnum subitum, nullis diu antè consiliis agitatum: Alterum lentum, multis voluntatum offensionibus, priuatisq. odiorum dissidiis diu occultatum, inde qua publica occasione in hominum luçem prolatum. Et quidem prioris generis seditiones magnos imperantium terrores, vrbiumq́ue graues metus adferre celeritate atque impetu plerumque consueuerunt, eiuscemodi nihilominus existunt, vti à viris prudentibus & in Repub. diu exercitatis facilè contemnantur, quòd neque ducem consiliaq́ue quæ sequantur certa vlla habeant, neque tam imperij contemptu atque odio, quàm subita qua animi indignatione commiserationeq́ue vt plurimùm oriantur, facileq́ue vel metus errore deprehenso, vel paucorum supplicio, vel nouis rumoribus, vel qua alia subita ratione compescantur, contrà quàm in lentis solet accidere, quorũ initia neque terrorem adferre hominibus consueuerunt, & grata qua boni specie vt plurimùm arrident, grauissimas nihilominus supremasq́. in posterum re-

rum

rum calamitates adferre Rebusp. solét. In illo itaque priore seditionum genere facilè assentiar, vti tumultuanti populo multa idcirco tribuantur, vti quàm citissimè armis depositis ad officium homines reuertantur. At in illo posteriore genere non est equidem, vti existimo, tam res ista expedita, vt definiri nisi difficulter non possit: sunt enim graues in quam velis partem rationes, exemplaq́. hoc nostro Belgio tam sunt varia quot explicari nisi lõgissima oratione non possunt. Húc itaque in modum inter templorum rudera, hæreticorumque magna gaudia ægrè sese Catholici tuebantur, nobilissimi quique nouarum Religionum Antistites magno atque ingenti cum fastu rem agere: accersiti è Germania confessionis Augustanæ Apostoli, Matthęus Flaccus Illiricus, Spangebergius, aliiq́. nonnulli, nouã & ipsi ecclesiam ordiri, plena omnia nouis nouæ Religionis sermonibus atq. libris, Religionis suæ formulam singuli describere, grauissimis sese odiis Lutherani & Caluinistę Antuerpię proscindere, tẽpla sibi factiones noua cõstruere, nomina cui vellent factioni ciues dare, ea postremò tempora redire quibus B. Hilarius dicebat: *Tot nũc sunt fides, quot voluntates: tot doctrinæ, quot mores: tot causæ blasphemiarum pullulant, quot vitia sunt, dum aut ita fides scribuntur vt volumus, aut ita intelliguntur: Et cùm secundum vnum Deum, & vnum Dominum & vnum baptisma, fides etiam vna sit, excedimus ab ea fide quæ sola est, & dum plures fiunt, ad id cœperũt esse, ne vlla sit.* Non deesse suo item officio Catholici, singulorum libris eruditè multi respondere:

*Sectarum & vniuersis Catholica diuersa studia.*

*Catholici Episcopi & Doctores.*

Fredericus Archiepiſcopus Vltratraiectinus: Richardotus Epiſcopus Atrebatenſis: Sonnius Epiſcopus Buſcoducenſis : Lindanus Epiſcopus Ruremondenſis: Cunerus Petri Epiſcopus Leeuvvardienſis: Ioannes Heſſelius, & in Mattiniſtas ſeu Lutheranos, Iudocus Rauëſtenius Tiletanus Theologi Louanienſes, Nicolaus Sanderus Anglus, quidam Gallus F. Ioannes Porthęſius, qui magna ſua cũ laude iis difficillimis eccleſię tēporibus Antuerpię concionabatur. Quorum equidem doctiſſimorum hominum pro Catholica vnione cõtra vel Lutheri vel Caluini partem eruditas concertationes explicare hoc certè libro non oportet, tamē quòd id facere aduerſarios in hiſtoria ſcribenda animaduertam, vt prolixas ac malè ſanas nouæ Religionis formulas ſępius cõmemorent, libet equidem & nobis doctiſſimæ cuiuſdam tabulæ recordari, qua paucis annis pòſt Eduardus Riſthonus Anglus grauiſſimis vt plurimùm hiſtoriæ argumentis veram Dei Eccleſiā à ſchiſmaticorum ſeceſſionibus iam inde à Christo reſurgente in hæc vſq. tempora eleganter diſcreuit, idque eo libètiùs facimus, quòd iuſtis voluminibus inſertam diuturniorem futuram tabulam arbitremur. Accurata itaq. temporum ſupputatione in certos titulos ita plures columnas ea tabula deſcribit, vti prima Imperatores, altera Epiſcopos Romanos, reliquæ Conſtantinopolitanos, Alexandrinos, Antiochenos, Hieroſolymitanos, ſingulorum temporum hæreſes, Concilia, Patres atque Hiſtoriographos per tot annos continua ſibi ſerie ſuccedentes contineat: inde ex

*Eduardi Riſthoni Angli vera Dei Eccleſiæ ex hiſtoriæ argumentis præclara demõſtratio.*

de ex earum rerum collatione, hęc quę sequuntur hisce verbis conficiat: *Pontifex hodie Romanus est Gregorius* XIII. *is eandem docet nos fidem, quā antecessor eius Pius* V. *& hic eandem quam Pius* IIII. *& sic ascendendo per singulos vsque ad Leonem* X. *sub quo Lutherus incepit: Imo vsque ad Gregorium primum, adeoq; vsque ad ipsum Petrum, quem tota antiquitas, & ipsi etiam Haeretici Chronographi nostri temporis ponunt primum Episcopum Romanum contra paucos quosdam absurdissimos, qui impudenter & imperitè negant. Verùm ad hoc quod nos hîc agimus nihil refert: nam D. Paulum saltem Romæ fuisse concedent; id enim Apostolorum acta cap. 28. testantur, eundémque ad Romanos scribentem capite primo dicere: Per eam quæ inuicem est fidem vestram atque meam. Hanc igitur tunc Romanorum & Pauli fidem dico esse & nunc Romanorum & Gregorij* XIII. *fidem, nullo hæretico valente nominare nobis Pontificem vllum, qui vllam eius fidei partem primus mutauerit, cùm tamen ex columnis Doctorum & Historiographorum pateat, extare memoriam omnium temporum, ita vt probè sciatur inter Imperatores (sicut & inter Reges singularum gētium) & inter Patriarchas Constantinopolitanos, Alexandrinos, Antiochenos, Hierosolymitanos, quinam in fide à suis antecessoribus recesserunt. Nequeūt autem Protestantes notare nobis inter Romanos similem aliquem, qui, inquam, aliter in re vlla fidei docuerit, quàm antecessor suus. Scio quidem quos errores vni vel alteri Pontifici imponant. Sed Catholici viri satis clarè eorum calumnias dissipârūt: & aliud est priuatim errare, aliud errorem docere. Et (quod maximè*

notandum est) non pertinent errores illi ad quæstiones has, propter quas hæretici hodie dissentiunt à
2 Gregorio XIII. Secundò. Non possunt Hæretici designare tempus aliquod, quando Romani cum adhærentibus exierunt de Ecclesia, sicut nos in columna Hæreticorum & Schismaticorum notauimus, quando singuli, ipsiq; huius temporis inter alios Sectarij exierunt, sed contrà quandocunque alij exierunt, Romani cum adhærentibus fuerunt semper qui intus manserunt, & propterea ij à quibus omnes alij
3 exierunt. Tertiò. Designent nobis Hæretici tempus aliquod, quando post Ecclesiæ initium Romani cum adhærentibus surrexerunt, sicut nos in eadem columna notauimus tempora quibus singuli Hæretici & Schismatici, ipsiq; inter alios Sectarij hu-
4 ius temporis orti sunt. Quartò. Ostendant quando Christiani mirati sint Romanos cum adhærentibus, quasi aliquid innouantes, & quæ inde Concilia, & qui Patres ijs contradixerint, sicut nos in suis columnis Concilia & Patres qui restiterunt singulis Hæresibus & Schismatis, ipsisq;, inter alios,
5 Sectarijs huius temporis, annotauimus. Quintò. Ex his animaduertunt omnes, quòd Lutherus necessariò vocauit nos Papistas à Papa, non autem Leonianos à Leone qui suo tempore erat, vel Gregorianos à Gregorio, vel ab vno quouis alio, quia scilicet non vnum aliquem Papam, quasi primum auctorem nostrum sequimur, sed Papas simpliciter. Fuerunt autem Papæ, vt vides, iam inde à Diuo Petro: vnde per hanc appellationem, etsi malitiosè à se confictam, tamen refert non obscurè originem nostram vsque ad Apostolos. Quemadmo-

Papistæ nomen.

dum

*dum etiam si, quia sequimur Ecclesiam, & Ecclesiæ Concilia, Pastores, & Doctores (quos Christus ascendens dedit inde vsque ad consummationem sæculi, Ephes. 4.) vocâsset nos Ecclesiistas, Conciliistas, Pastoristas, vel Doctoristas.* Sextò. *Non* 6
*sunt autem talia nomina Lutheranorum, Caluinistarum, Protestantium, Puritanorum. sed designant hæc vel certum auctorem, vel certam occasionem, vnde illi cum manifesta & pertinaci ab alijs Christianis in fide ac communione, separatione, certo tempore orti sunt: Qualia habet eadem Hæreticorum & Schismaticorum columna plurima alia nomina antiquiora. Ostendant igitur nobis isti ex omni Christianorum memoria multitudinem quamlibet sub tali nomine aliquando ortam, quæ non fuerit Hæretica vel Schismatica. Quod autem solent hîc imperitè nobis regerere nomina Franciscanorum, Dominicanorum, Iesuitarum, facilè perspiciet in hoc vanitatem conatus eorum, qui considerat, quòd Religiosi illi & nos cæteri Catholici (qui Religiosi seu Monachi non sumus) nihil inter nos vel in fide vel in communione differimus.* Septimò. *Præter* 7
*hæc particularia etiam generale nomen Hæreticorum certissimè indicat qui sint verè tales: alioqui proferant isti nobis ex omni antiquitate inter Christianos multitudinem hominum qui communiter in libris & sermone (sicut ipsi hodie) Hæretici dicti sunt, & mox eo nomine sine vlla ambiguitate agniti sunt ab omnibus, qui tamen veri Hæretici non fuerint. Exempla plurima habent hîc in columna Hæreticorum, exceptionem verò nullam vsquam.* Octauò, *Contrà autem nos hodie in* 8

*libris & sermone cùm Catholici vocamur, nemo audiens hæret quasi in ambiguo. Proferant igitur etiam ex omni antiquitate aliquos similiter vsurpatos isto nomine, qui tamen verè Catholici non fuerint.*
9 Nonò. *Nos hodie communicamus cum sede Apostolica Romana: Ostendant iam nobis Hæretici, quòd Catholici hoc vnquam facere detrectauerint, vel alij vlli nisi ipsorum similes, id est, Hæreti i & Schis-*
10 *matici.* Decimò, Vndecimò, Duodecimò. *Nos ho-*
11 *die amplectimur Ecclesiæ traditiones, Concilia & Pa-*
12 *tres: ostendant autem quòd illi vnquam sic ab ijsdem defecerint, sicut ipsi hodie, nisi tantummodò*
13 *Hæretici & Schismatici.* Decimotertiò. *Varia dogmata quasi varia deposita mandata sunt Ecclesiæ, cùm scilicet contra varios Hæreticos definita essent in antiquis Concilijs: vt consubstantialitas contra Arrianos in Niceno: Deitas Spiritus Sancti cōtra Macedonianos in Constantinopolitano: Unica persona Christi contra Nestorianos in Ephesino: Duæ naturæ in Christo contra Eutychianos in Chalcedonēsi. &c. Indicent iam Protestantes vel vnum istorum depositorum, quod Ecclesia nostra hactenus & hodie*
14 *fideliter non custodit.* Decimoquartò. *Contrà autem ipsi hodie (vltra proprias innumeras) plurimas etiam antiquorum hæreses renouârunt, vt Aërij, qui negans orationem ac oblationem pro defunctis, & stata ieiuniorum tempora, damnatus est pro hæretico à tota antiqua Græca & Latina Ecclesia, vt apud Epiphanium & Augustinum in Catalogis Hæreticorum videre licet, ad quos & alios similes de hæresibus scriptores, vel breuiùs ad D. Sanderi Monarchiam libro octauo cap. 57. lectorem remitto.* Deci-

moquin-

moquintò. *Sumat iam qui volet quemlibet arti-* 15
*culum Catholicæ nostræ fidei, vt (verbi gratia) inuo-*
*cationem Sanctorum, & cultum reliquiarum: Non*
*potest autem vllus hæreticus designare primam huius*
*articuli originem, nisi tantùm ab Apostolis ipsis. Si*
*enim audeant nominare tempus, nos facillimè ad*
*antiquiora referemus testimoniis Scriptorum Eccle-*
*siasticorum, qui hic in sua columna omni ætate o-*
*stenduntur, maximéque hac generali obseruatione,*
*quòd Vigilantius reprehendens cultum Sanctorum,*
*acceptus fuisset pacificè, & Christianos non pertur-*
*bâsset. Nam & Arriana similiter & Nestoriana,*
*& qualibet alia hæresis, hoc ipso quod turbationem*
*adduxit, declarauit apertissimè, pacem fidei, in qua*
*eatenus Christiani fuerant, ab Apostolis extitisse: i-*
*dem per omnia contigit Luthero & cæteris Hæreticis*
*huius temporis.* Decimosextò. *Considerent hic* 16
*omnes in quali terra semper antehac seminata fuerit*
*doctrina Protestantium. Nam Aërius ille erat e-*
*tiam Arrianus: & sic de plerisque aliis. Dicant i-*
*gitur Protestantes, qui factum sit, vt in Arriano*
*potius quàm in Epiphanio, Augustino & cæteris Ca-*
*tholicis impugnatoribus Arrianorum radices egerit*
*hæc eorum doctrina.* Decimoseptimò. *Sequitur* 17
*hinc quòd Protestantes nunquam fuerint ante hoc*
*tempus, neque scilicet in illo Aërio, neque in ipsis VVi-*
*cleffistis, vel Hussitis, vel aliis hæreticis quibuscun-*
*que; quia licet illis in aliqua cauda alligati sint, vt*
*ostendi, tamen in aliis plerisque ab eis dissentiunt, nisi*
*etiam non solùm Aëriani, verumetiam Arriani, &c.*
*haberi velint.* Decimooctauò. *Scio quidem quod* 18
*gloriari solent se fuisse in iis Christianis, quos olim*

 *perse-*

*persecuti sunt Gentiles. Ecce igitur in columna Im-*
*peratorum Romanorum notauimus persecutiones il-*
*las antiquas. Dicant porrò Protestantes, vtrum ve-*
*lint illam hodie valere Religionem, quæ tum illorum*
*Christianorum Martyrum fuit: verbi gratia, Ire-*
*næi, Cypriani & cæterorum quorum ipsorum scriptis,*
*& aliorum de illis temporibus certè vident se facilli-*
*mè redarguendos, si consentire huic postulationi au-*
19 *deant.* Decimononò. *An eam valere velint Re-*
*ligionem, quam demum ipsi Romani Imperatores, &*
*alij persecutores humiliter susceperunt (secundum*
*Prophetas) à Christianis, quos prius persecuti fue-*
*rant: si consentient, legemus eis ex historijs Religio-*
*nem Constantini magni primi Imperatoris Christia-*
*ni, Theodosij, & aliorum Catholicorum, eandemq́;*
20 *facilè ostendemus fuisse, quæ nunc nostra est.* Vige-
simò. *Dicant deinde, quæ fuerint tum Christia-*
*norum pro se & pro Christo contra Gentiles Apo-*
*logetica argumenta: an non, inter alia, petita sint*
*(quod ex libris pro Deitate Christi tum scriptis vide-*
*re est) ab insigni honore & virtute per Christum do-*
*natis cruci suæ & Martyribus suis: adeo vt iam ip-*
*sas supremas sæculi potestates fecisset adorare, vel si-*
*gnum crucis suæ, & ad sepulchrum piscatoris humili-*
*ter supplicare. Ex quibus argumentis intelligunt Pro-*
*testantes se non solùm cum veteribus Hæreticis, &*
*non cum veteribus Christianis persecutiones illas*
*passis, sed etiam contra illos Christianos, & con-*
*tra Deitatem Christi cum ipsis Gentilibus stare.* Vi-
21 gesimoprimò. *An non vnum maximum (inter*
*cætera) pro Christo contra Gentiles illos argumen-*
*tum fecerint Christiani, quia tot & talibus persecu-*
*tioni-*

*tionibus (quas etiam ex parte in columna Imperatorum notauimus) Ecclesia eius subuerti non potuisset, sed secundum ipsius prædictionem (Matth. 16.) inuicta mansisset, imò & magis claruisset, vtpote ipsis quoque persecutoribus iam conuersis, & pro Ecclesia Christi contra idola pugnantibus. Cùm Protestantes iterum cogantur absurdissimè dicere, quòd Ecclesia tunc vel perijsset, vel certè disparuisset, idq́; adeo vsque ad Lutherum vel Caluinum.* Vigesimosecundò. *An velint in Religione consentire illis qui* 22
*per illa tempora (sicut & deinceps) conuerterunt gẽtes (quas ex parte in columna Pontificum Romanorum notauimus) ab idolis suis ad Christum, & idola ipsa toto orbe (secundum Prophetas) destruxerunt, idq́; plerunque per reliquias Sanctorum, signum crucis, & alias imagines sacras, quas stulti Hæretici idolatriæ insimulant: Et an ipsi non contrà faciant, nihil scilicet nisi (Hæreticorum omnium more) auertentes à Christo homines Christianos, & non de Paganis conuertentes in Christianos, quod nunc (sicut semper) Ecclesia nostra gloriosissimè facit in Indiis, & in nouo orbe.* Vigesimotertiò. *An Sanctus Augustinus & alij* 23
*Catholici Afri in Collatione Carthaginensi (tom. 7. operum Augustini) è scripturis non demonstrauerint, Donatistis Hæreticis Ecclesiam ad sua tempora visibilem permansisse, & semper similiter permansuram: Et num velint ipsi aut possint aliquid ibi pro Donatistis respondere.* Vigesimoquartò. *Deniq; cõ-* 24
*tra omnem istam spõtaneam damnabilem cæcitatem, vident omnes in hac tabula clarissimè Ecclesiam visibilem inde vsque ab Apostolis hactenus perdurare,*

*hæresibus*

*hæresibus tam multis, sicut certis temporibus orta sunt, ita rursus tandem dilabentibus, imò & Patriarchatus illos olim celeberrimos, Alexandrinum, Antiochenum, Hierosolymitanum iam dudum ad nihilum recidisse. Constantinopolitanum autem diu post Apostolos surrexisse, solum autem Episcoporum Romanorum (quorum triginta & plures in principio Martyres fuere, præter alios multos Sanctos) successionem integram & continuam esse, & sine dubio semper fore: ita vt hæresibus huius temporis (sicut omnes priores) aliquando dilapsuris, & aliis fortasse paulò postea surrecturis, ipsa tamen Ecclesia & sedes Apostolica in æternum sit superstes. Cui propterea consultum foret omnibus humiliter obedire, vt in fide eius deinceps radicati studeant de cætero expiationi peccatorum suorum ac bonis operibus, alioqui sine dubio pœnas æternas rebellionis & perfidiæ suæ cito apud inferos luituri.* Atque hæc cæteráque in eam sententiam ea tabula multa eruditè atque eleganter. Ad institutum itaque reuertatur narratio.

*Parmensis præclara officia.*

Rebus hunc in modum procuratis, quòd ad propulsandam hæreticorum iniuriam necessariò præsidiis communiri multas vrbes oporteret, quòd sine metu difficulter mansuros in officio hæreticos affirmaret, fœderatis rem eam minimè reprehendentibus, deductis è præsidiis nonnullis veteranorum militum copiis, nouísque habitis delectibus imperium auctoritatémq. sibi Parmensis confirmat. Gandaui mense Sept. octo sacrilegij damnatos, & in his quendam Curiæ Flandricæ procuratorem, qui ad imagines deijciendas Egmondani literas atque signa confinxerat. Ministros

nistros item aliis locis nonnullos, quòd alio quàm conuenerat, essent loco cócionari, laqueo suspendit. Edicta quoque iis temporibus vtilissima ea proponit, quibus militum delectus nisi suo imperio haberi grauissimis constitutis pœnis non pateretur, illicitum armorum vsum prohiberet, equis velocibus cornuque nisi Regiis ministris, præfectique (vti loquimur) Postarum, auctoritate vti non permitteret: Ministros concionatorésque peregrinos in vniuersum omnes proscriberet: Catholicis atque in officio manentibus vrbibus subsidia transmitteret, vim in conciones, quæ post pacta cum fœderatis suscepta haberentur, imperaret: Regis literas ex Hispaniis allatas quibus collaudarentur, venturúsque breui Rex scriberetur transmitteret. Accuratè postremò summáque diligentia atque fide rem curaret: quod vt maximè ita faceret, quiescere nihilominus nouarum rerum studiosi homines non poterant, multæque quotidie omnibus è locis nouarum Religionum res gestæ nunciabantur. Delfis in Hollandia muliebri veste induti aliquot ciues Franciscanos; Amsterodami Carthusianos monasterio profligant. Furnas in Flandria VIII. Id. Octob. sub horam quintam matutinam spe potiundæ vrbis duce quodam procuratore bis mille nebulones cogitabant: in deprehensos, vigiles tormentis iaculantur, viginti è toto numero in terram prostrati, cæteri in fugam se conijciunt: fugientes portis apertis milites nonnulli consectantur, captiui in vrbem reducti eò studio ad vrbem venisse

*Hæreticorum seditiones.* *Delfis in Hollandia.* *Amsterodami.* *Furnis.*

nisse eam hominum multitudinem affirmant, vti fidelibus è carcere eductis omnem isthic clerum iugularent. Antuerpiam (quam vrbem Orangio in Hollandiam profecto Hoochstratanus imperio regebat) noui tumultus excipiunt, pessimorū quorundam hominum operas ad templa denuo violanda quidam conduxerat, vespereque ad operas præstandas in templum B. Mariæ conducti ij homines conuenerant: Intelligit rem Hoochstratanus, templum ingressus operas comprehēdit, noctuque è lecto abductum conductorem vnà cum operis summo manè in foro suspendit.

*Antuerpiæ.*

*Cameraci.*

In ditione Archiepiscopi Cameracēsis (quæ summa Regis Catholici fide, præstanteq. in eam Regionem studio liberrimè suis legibus atq imperij Germanici vetusto iure fruebatur) nōnulli in vrbe Cameracesia, pauci vrbe Cameracēsi nouarum religionum studiosi homines reperiebantur. Inuentus est nihilominus ea vrbe quidam Ioannes Clericus honesti ordinis ciuis, qui Germaniæ exēplo concedi ab Archiepiscopo magistratuq. confessionem Augustanam ciuib postularet: ad postulata id responsi acciperet, vti intra curiam retentus accepta capitis sententia, horis tribus pòst caput palàm in foro amitteret, tranquillissimamque in posterum eo suo malo Remp. efficeret. Quæ tam locis atque re varia, vti commemorari omnia difficulter possunt, sic duarum nos vrbium Tornaci & Valencianæ casum explicare idcirco oportet, quòd hæ solæ è tota VValonicarum vrbium multitudine ita nouas sunt factiones amplexæ, vti harum duarū maiores quàm cætera-

tetatũ in vniuerſum Teutonicarum vrbium motus extiterint, vrbiumq́.earum reſtitutioné cæteræ vno veluti ictu ſint conſecutæ. Valenciana, vti oſtendimus, iampridem inteſtino nouarum Religionum morbo laborabat. Cùm itaq.ea quę dicebamus paſſim toto Belgio nouarum rerum ſtudia ſunt exorta, facilè eſt effectum, vt veterum damnorũ calamitatumq́.immemores Valẽciniates ad metu diſſimulatas animi cupiditates reuerterentur. Parmenſis cùm cætera Rerump. mala, tum nouis hiſce hominum ſtudiis id vnum præcipuè metuebat, vti ne Galli veteres Burgundionum hoſtes ea nouæ Religionis ſpecie in Belgiũ adducerentur, id ſi fieret, tum cui vrbi magis metuẹret atq. Valencianæ non equidem inueniebat: ſiue quòd peroportuna ſitu atq. opere exiſteret, ſiue quòd cum Gallis magna ea vrbs mercimonia habere iampridem conſuêſſet. Multis itaque literis magiſtratum quotidie commonefaciebat, inde magiſtratus modò minore, modò maiore coacto vrbis concilio varia retinendis in officio ciuibus conſilia ſuſcipere, tercentum è toto ciuium numero ad militiam adlegere, ordinariis vrbis collegiis ſtationes vigiliasque imperare, in peregrè aduenientes homines ſtudioſè inquirere, per Franciſcum Oultremannium vrbis Penſionarium Parmenſi eam magiſtratus diligentiam explicare, rogare, ſi, quod futurum metueretur, vti Tornaci cæterarumque vrbium exemplo conciones haberentur, facere magiſtratum oporteret. Reſpondent Parmenſis Barlaymontiusque, in quos iure legitimo

*Valenciana vrbis hiſtoria.*

minus

minus possent, in eos vi armata animaduerterẽt. Refert Pensionarius, si rem eam tentanti magistratui minus succederet, num extra culpam futurum magistratum profiteretur? Non respõdet Parmensis: re itaq. cum Viglio Bruxelláq. sæpius à Doultremannio deliberata, magistratu literis collaudato, nullo certo consilio Pensionarium in vrbem Parmensis remittit. Crescit itaq. indies agrariarum concionum ingens libido, si portas magistratus occluderet, intra vrbem concionaturos sese homines comminantur. Mense Iulio itaque inspectantibus magistratuum delegatis, qui ad portas existebãt, extra portam Tornacensem in pratis concionem ciues cumplures auscultant, ministrumque vnà secum in vrbem adducunt. Marchio Bergensis (vti ostendimus) in Hispanias discesserat, eo itaque absente, Hannoniam, Valencenásq. Noircarmius opera vicaria procurabat. Venit itaq. Valẽcenas Noircarmius, ostendit quanta à Gallicis Hugenottis pericula metuere oporteret, quænã Regina mater ea de re Parmensi scripsisset, quàm ferre Regem istarũ seditionum indignitatem nõ oporteret. Respõdet magistratus, probari vti trecẽtis delectis ciuibus alij trecenti adderentur, exploratores in Gallias mitterẽtur, secũ Noircarmius maneret, vrbemq. qua vellet ratione procuraret. Qua de re dum isto modo in curia deliberatur, en ingẽs hominũ multitudo in forum omnibus è locis progressa referre ad magistratum de rebus grauissimis velle sese ostẽdit: Intelligere se de adducendo in vrbẽ milite curiã deliberare, nullã esse causam cur tranquillissi-

quillissimo vrbis statu de prę sidiis cogitari oporteat: tot incōmoda, tot damna à præsidiario milite ciues accepisse, quot ferendis in posterum nō sufficerent: Regi Catholico Philippo Domino suo obsequentes sese existere, nulla se cōsilia cum peregrinis suscepisse, nullaq. vlla sese ratione suscepturos, libentissimeq; vigilias imperanti magistratui sese parituros. Refert ad totam eam multitudinem Oultremannus: Tam rem eam in curia non agi, vti contrà Noircarmio rogante, sentētię dicerētur, quánam potissimùm ratione sine præsidiis retinere vrbis per se quietē magistratus posset. Hinc diebus aliquot pòst ad magistratum minusq. cōcilium refert Noircarmius: Futurum vti fœderati nobiles concionū inducias in dies xxv. Parmēsi promitterent, rogare itaq. se, vti Valencenis eas concionum inducias magistratus conciliumq. procuraret: militem sine graui rerū necessitate, non esse se in vrbem adducturum: tamen si vel à Gallis, vel quo alio grauiore periculo timeretur, futurum sese arbitrari, vti Regiū militem in vrbem sint admissuri. Respondent neq. de cōcionum induciis (si id fœderatæ nobilitati probaretur) neq. de præsidiis quod proponeretur sese recusare: rogare itaque quod grauiore quoque negocio consuêsset, maiore vti concilio res videretur. De more itaq. pulsata campana, nullis neque tribubus, neque collegiis distincta plebs non in curiam (quod cōsuêsset) sed in amplissimas curiæ vicinas ędes, panni tabernas, ob multitudinem concedit: Proponit rem Oultremannus, de concordię laudibus, officiique in magistratum necessitate

S sitate

ſitate nõnulla prolocutus, magiſtratus minoriſq. Concilij ſententiam exponit: maius illud Concilium quod dicebamus, nullo certo ordine diſtinguitur, vt quiſque vel auctoritate, vel gratia, vel rebus turbatis audacia plurimùm poteſt, ita eo Cõcilio plus cęteris valet. Vt primùm itaq. ea magiſtratus minoriſq. Concilij ſententia eſt expoſita, exilire nunc hic, nũc ille, loqui tumultuariè ſimul multi, varia nullo ordine, iudicioq. proponi. Animaduertit rem magiſtratus, ſufficere in præſens affirmat, quod ad Concilium res eſſet relata: ſententias, vel plebe vt vigiliis conſuêſſet in centurias decadeſq. diſtributa, vel qua alia ratione eſſe ſe rogaturos: dimiſſo itaq. Concilio, re infecta diſceditur, ſententiaſq. magiſtratus minuſq. Cõcilium eas in poſterum Noircarmio rogante pronunciat, vti rationẽ coërcendis concionibus idoneam reperire ſeſe denegaret, conuentum Ordinum generalium rebus ſedandis poſtularent, Regi rebus cæteris obſequentem futuram vrbem oſtenderent. Creſcebant interea Valencenis vrbibusque cæteris ſeditiones. Antonius Collardus alter vrbis Penſionarius Bruxellæ cum Parmenſe Noircarmioq́ue oportuna vrbi conſilia quærebat: Ne in vrbem conciones transferrent, à Catholicorum Eccleſiis abſtinerent, & literis Noircarmius & coràm magiſtratus cohortatur: at fruſtra imperabant, quos impunè toties vulgus contempſerat. IX. itaq. Cal. Sept. nebulonum viliſſimorumq. hominum caterua initiò templum B. Mariæ foribus effractis, inde cętera vrbis templa ſacrilegio turpiſſimè cõtaminat, inde tranſlatis in

tis in vrbem concionibus, prima in tẽplo Beginagij, inde vi aperto templo B. Gaugerici, cęterisque quas liberet occupatis vrbis ecclesiis, nouæ Religionis mysteria palàm auspicantur. Atq. hæc Valencenis. Tornaci III. Cal. Iul. noctu ad põtem Arnouuillium in territorio Tornacēsij frequenti auditorio quidam minister fuerat concionatus: inde pridie Cal. ad pontem Rieum in territorio Tornacensi concionibus ciues cũplures interfuerant, crebrioresq. indies de agrariis concionibus certos magistratus nuncios accipiebat. Ioannes Chasteletus Dominus Moilbaisij (qui Montigneo in Hispanias profecto supremum arcis imperium tenebat) quòd in arcis custodia momenti plurimùm inesset, militem ex vrbe in arcem vniuersum transduxerat. Nullo itaq. pręsidio munitus magistratus, inter lubricas ciuium voluntates dignitatem auctoritatemq. ægrè tuebatur: Pecunię ad militũ delectus per exiguę magistratui suppetebant: Clerici (quorũ ea vrbe magna & auctoritas atq. opes vulgò dicebãtur) cur pecuniam cõferre sese non oporteret, eam causam adferebant, quòd totos iam annos tres cõtra quàm Ecclesiæ priuilegia atq. dignitas pateretur, grossum in singulas vini mensuras, quatuor item grossos in singula vasa ceruisiæ ad coërcendas eas, quas cõmemorauimus Psalmorũ nocturnas cantilenas cõtulissent: Pertinere quoq. ad se vrbis vigilias, custodiamque negarent: crescebat itaque nemine nisi verbis repugnante hæreticorum indies audacia. Parmensis, vti ostendimus, mense Iulio omnes hæreticorum conciones edicto damnauerat,

*Tornaci varij motus.*

Miniſtrisque igni atque aqua interdixerat: Moilbaiſius re cum magiſtratu deliberata cõtrà quàm pluribus probaretur, edictum promulgat. Paucis itaque diebus pòſt ad Folaiſium ad ſiluam Breuſiam haud longè ab vrbe quidam Ambroſius VVille, centum quinquaginta equitibus ingẽteq́ue armatorum hominum multitudine comitatus, numero viri fœminæq́ue ad VII. millia ab hora ſeptima matutina in horam nonam acerbè concionatur: Media cõcione literas magiſtratui deferendas è ſuggeſtu eas proijcit, quibus de verborum contumelijs quas fideles à quodam milite atque fabro paterentur, multa quereretur, diceretq́ue, ni ius fidelibus diceretur magiſtratusq́. eos homines coërceret, ab edictis promulgatis diſcederet, miniſtris comminari deſineret, captiuos fideles dimitteret, futurum neceſſariò vti fideles ab ijs innocentiæ ſuæ auxilium poſtularẽt, quos magiſtratu maiores potentioresq́ue patronos fideles miniſtriq́ue haberent. Per Penſionarium itaque Iacobum Clericum rem eam Parmẽſi magiſtratus oſtendit, fratrias ſeu collegia Sanctorum Michaëlis, Chriſtianæ, Mauricij, Georgij & Antonij de officio commonefacit: Reſpondent collegia ſi de hoſtibus ageretur, ſi qua vis peregrina immineret, facturos ſe quòd Magiſtratus poſtularet, in ciues qui conciones audirẽt arma idcirco non eſſe ſe ſumpturos, quod eas conciones multi agnatione atque affinitate coniuncti ſibi ciues accederent: Dicerent quoque è collegis Sancti Antonij nonnulli neque vrbicis neque agrarijs ſeſe concionibus idcirco moleſtos

ſtos

ſtos futuros, quòd earum concionum,eiusque ſe doctrinæ ſectatores profiterentur. Cōcilio itaq. coacto quod duorum magiſtratuum cis & trans Schaldim conuentibus conſtituitur,in eam ſententiamdiſceditur : Quòd in concionibus amouendis operam ſeſe magiſtratui præſtitura collegia denegâſſent,quòd ſubſidio vrbi ex arce milites Moilbaiſius tam non poſſet ſubmittere,vti contrà quos vrbs ſuis ſtipēdiis haberet, in arcem aduocâſſet,rogandam Parmēſem,vti pedites ſubſidio magiſtratui in vrbem trāſmittat,equitemq́. quem aurei velleris vrbi imperaturū ad ſe mittat, de captiuis, quos vi carceribus erepturi homines dicerentur,rogare vt bona Parmenſis gratia iuratoria cautione è carceribus dimittere ſibi liceat. Reſpondet per Eraſmum Changium Parmenſis: Equitem aurei velleris atq. equitatum præſidio propediem vrbi ſe miſſuram: De captiuis, quòd tutò abduci in arcem minus poſſent,placere vti proſcripti vniuerſis Regis prouinciis exularent. Nicolaus Taffinus magnam inter Caluiniſtas auctoritatem tenebat, eo itaque auctore magiſtratui mercatores cùm præclara ſua in patriam ſtudia commemorant, tum grauiſſimas piiſſimasq́. (vti aiebant)rationes habere ſe affirmāt, cur pietate adductos ferre ſe pręſidiarios nec vllos intra vrbem,neq. plures quàm cōſuêſſet intra arcem milites oporteret: Addunt, laudare hæc ſua poſtulata,decanos decanorumq́.vicarios,(ſic ſingulorum iſthic opificiorum annui magiſtri cōpellantur)rogati Decani plura etiam de plebis pauperie præſidiorumq́.graui onere cauſantur. Refertur

fertur res ad Parmensem: Respondet, si idoneè sibi caueretur tutā vrbem à peregrinis hostibus, à seditiosis motibus,concionibusq.futuram,pati se posse,vti sine milite per se vrbem ciues tueantur.Refert eam Parmensis sentētiam ad mercatores Changius,multaq.prolixè commemorat, cur æquissimas eas leges recusari nulla ratione oporteret:Respōdet pro mercatoribus Taffinus,hinc in eandem sententiam Decani prioribus duobus se capitibus assentiri: quod esset postremum de cōcionibus, si vicino vrbi loco domum habēdis cōcionibus idoneam extruere sibi permitteretur, & huic sese item conditioni parituros. Recusat quod de extruendis nouis ædibus proponeretur, rebus cęteris,magistratui vti populo obsequatur Parmensis permittit. Nihilo interea quietiores ministri:per Castellaniam Insulanam instar Bacchantum insanos homines circumducere,minari Insulensibus,quòd fideles contumeliis afficerēt; concionari in pratis in ipso vrbis Tornaci conspectu quidam Carolus Mellius: Magistratus de vrbis custodia deliberare, cum centurionibus ciuibusq.de formula sacramenti diu multumq.sermonibus contendere,ita postremò rem cōstituere,vti de concionibus per ęstatem vrbe arcendis, seditionibusq. coërcendis verbis ritè conceptis iuraretur,quod vt maximè ita ciues facerent, magna nihilominus cum contumelia euenit, vt xi. Cal.Sept.in templo B.Petri tumultuari nonnulli inciperēt:inde eo tumultu sedato, ix.Cal.Sept. summo manè acciti ex agris infimaque vrbis fece obscuri homines, initio cæteris vrbis Ecclesiis,

inde

inde augustissimę Dei matris Cathedrali Ecclesię sacrilegam turpissimamq. vim facerent: Neq. adduci ad coërcendam eam hominū colluuiem stationarij eius diei milites ab vrbis Præposito idcirco possent, quòd cōtineri sacramento de seditionibus vrbisq. direptione, nō etiam de templorum conseruatione causarentur. Erant tum Tornaci tres sectę Caluinianæ ministri: Ambrosius VVille, Carolus Mellius, & quidam Burgundus: qui (quod locis cæteris ministri cōsuêssent) ad se pertinere eius sacrilegij crimen verbis negarent: cōtrà Ambrosius (quo die templa fuerāt direpta) per vrbis cauponas rationes eorū sumptuum iniret solueretque, quos eo die ecclesiarum direptores per eas cauponas fecissent: qua de re cùm à Pensionario Clerico reprehenderetur, sic in Curia Ambrosius responderat, vti reprehendi se à Pensionario non debere affirmaret, diceretq. venisse ad se sub vesperam illas pauperes operas, quæ toto eo die laborâssent, questásq. quòd cibum nondum sumpsissent, pietate itaque adductum fecisse se vt cauponibus de singulorum cœna caueret, sumptúsque quos fecissent exolueret. Accedebat ad eam templorū iniuriam, vti illo, quod dicebamus, iam inde à B. Elutherio earū prouinciarum Apostolo, augusto templo, tot Episcoporum Regúmq. Gallię pietate, eo honorato Canonicorum collegio illustri, cuniculis scrutari in ima templi viscera paulò pòst aggrederentur: Religiosa iure gentium sepulchra violarent: religiosa ea forsitan ratione minus arbitrarentur, quòd Caij Iurisconsulti auctoritatem

ſequerentur, qui hoſtium ſepulchra religioſa nō eſſe affirmat, neque infami de ſepulchro violato teneri actione eum aſſeuerat, qui detracta ex hoſtium ſepulchris ſibi ſumpſiſſet. Adolphus Dux Geldriæ, Carolo Duce Burgundiæ imperāte, ſceleratas damnatasq. parenti Arnoldo manus intulerat, captumq. nudis pedibus per quinque milliaria ſtillantem ſanguine in carcerem deduxerat, neque inde niſi anno quinto pòſt metu Romani Pontificis atque Imperatoris non eduxerat: cauſamque parricidij eam attulerat, quòd annos quatuor & quadraginta imperantem cedere ſibi de imperio patrem oporteret. Hunc cùm moreretur hæreditate à patre abdicatum in vinculis Dux Carolus habebat. Cùm itaq. Gandauenſes, Carolo mortuo, Ducem ſeditioni quęrerent, acciderat vt vinculis exemptus Adolphus in aciem Gandauenſes educeret: cæſusque ad Tornacum, in vrbem relatus, Cathedrali Eccleſia à Gallis conditus aromatibus, humaretur. Hunc itaque Adolphum eiuſdem ſecū ſtudij hominem quieſcere tot poſt annos ita hæretici non ſunt paſſi, vt proiectum toto templo cadauer indignè inſpectante tota vrbe haberetur. Diu itaque cuniculis quæſitas argenteas atq. inauratas imagines, multaque Eccleſiæ munimenta (quæ terra Canonici condiderant) tandem inueniunt, inuentasq. vnà cum aurea argenteaque nonnulla templi ſupellectile tres illi quos dicebamus Miniſtri, in curiā ad magiſtratum ita demum delaturos ſeſe oſtendunt, ſi populo de ea ſupellectile magiſtratus caueret, futurum, vti ea ex arbitrio Orangij, Egmōdani,

dani, Hornaniq́ue vteretur. Respondet magistratus, si permitteretur, vti ex sententia Parmensis supellectile vterentur, depositú esse sese recepturos: De proceribus rogare, num ita sese loqui hi quos dicerent tres proceres imperâssent: Respódent, non equidem id sibi eos proceres mandâsse, verùm in eorum se ditione tutelaque existere. Cùm itaque de inuento thesauro conuenire magistratui cum Ministris non posset, per aliquot dies in templo thesaurum ciues custodiút: Inde Ministris assentientibus, in Curiam, pòst in arcem clàm defertur. Excurrere interea in agros Tornacenses, iungere se socios Valencenates cæteriq́ue quos vel prædæ, vel sceleris impietas transuersos ageret, obuia quæq́ue Monasteria, pagorumq́ue Ecclesias, vt armatorum hostium castra inuadere, quos sors obtulisset duces assumere: iis Principibus, vt ex agro hostili, sic è templis monasteriisq. prædas agere. Præfectus prouinciæ Insularum, Duaci, Orchinij duobus tribunalibus iurisdictionem exercet Insulano & Duaceno, ad Insulanum pertinet Castellania Insulana, ad Duacenú vrbes Duacum & Orchinium, & earum vrbium Castellaniæ. In vrbe Insulana momēti quàm plurimùm idcirco existebat, quòd & iam inde à vetere Ducum Burgundiæ domicilio, castrisq́ue Regis Angliç ad Tornacum, in non contemnendas opes mercatorum atque ciuium res excreuerát, & Regij patrimonij per Flandriam, Artesiam, Hannoniam, Insulas, Duacum, Orchinium, Namurcum, Tornacum, Mechliniamq́ue procuratores ea vrbe morarentur. Insulis itaque Rassengenius ma-

*Tornacēses & Valencenēses vrbibus egressi per agros monasteria atque templa diripiunt.*

*Prouinciæ Insulanæ præclara studia.*

nebat,milites Duce Gifleno Hayninio Domino Breucij collatis ab eius vrbis Canonicis magiſtratúque pecuniis præſidio vrbi adduxerat, magnáque cùm ſua, tum magiſtratus præclara laude atque ſtudio Religionem dignitatémque tuebatur. Gilbertus d'Oigneus Epiſcopus Tornacenſis in eam vrbem ſeceſſerat: neque pati id Antuerpia cæteræque mercatoribus inſignes vrbes facilè poterant,vt vna iſta mercatorum vrbs à cæterarum ſtudio diſſideret. multa itaque intra vrbem occulta iſtorum hominum conſilia, multæ modò ex agris,modò è Tornaco ad magiſtratum atque ciues fidelium, vti loquebantur, literæ:queri de fratrum contumeliis, quorum ædes ſcrutarentur, vrbem à concionibus ingreſſi pugnis viri cæderentur, mulieres indignè haberentur. Reſpondet ad vnas Tornacenſium literas magiſtratus: Ignorare ſe quas commemorarent ſuorum fratrum cõtumelias, tot contra iſtorum fidelium dedecora nota ſibi exiſtere,Religionem Catholicam tot iniuriis proculcatam, priuatam multorum ſupellectilem direptam, tabulas atque inſtrumenta rerum priuatarum lacerata, famulos è pedibus ſuſpenſos capite in cloacam dimiſſos, decrepitæ mulieri in ſedem cacatoriam impoſitæ ignem ſubiectum: horum antè recordari fideles debuiſſe, quàm de Inſulanis ciuibus quererentur. Duacum minore periculo rem gerebat,quòd neque mercatorũ eæ iſthic opes exiſterent, & ciues Religionis Catholicę perquàm ſtudioſi:cęterũ per agrum Duacenatem haud par ſecuritas.Orchiacum imbellem vrbem Tornacẽ-

ses Valencenatésq. cogitabant. Ioannes Lattrius, Rassengenij per eum tractũ supremi imperij vicarius, & Antonius Roisinius Dominus Cordij, qui præsidiariis vrbis Duacenæ militib. imperabat, Orchiatibus vicinorũq. pagorum præfectis, iudicibusq. rem ostendũt. Vigiliis itaq. per pagos dispositis, signóq. constituto, quo exciri è pagis homines oporteret, cùm illi quos dicebamus Valencenates & Tornacenses Abbatias S. Amandi, Vicoignij & Hasnonij diripuissent, vrbémq. Orchiacum nequicquam tentâssent, VIII. Cal. Sept. Marchianũ celebre Benedictinorum monasteriũ sub vesperam diripiunt. Robertus Longouallius Dominus Zittardij, & Ferricus Guyonius monasterij Aquicinctensis Bailliuus ingenti rusticorum manu ad Thilloum & Brilloum totam eam Marchiano redeuntem prædonum manũ ad internecionem cõrrucidant: inde efferati animis rustici cùm die insequenti noua sese hominũ colluuies in eos agros effudisset, quæ Bouuigneum, inde monasteria Aquicinctense & Flineum cogitare diceretur, multiq. ex Hannonia ad Duacenates rusticos alij rusticani milites accessissent, noua clade totam eam sacrilegã multitudinem concidunt, eo rerum successu, vti immunis in posterũ à contumelia omnis is ager existeret, rusticique magnis animis & nonnullas suorum cædes fortiter cõtemnerent, & Religioni accuratè studerẽt.

*Tornacẽses & Valencenises cæsi in agro Duacensi.*

Fœderati nobiles, quod demonstrauimus, facturos se Parmensi receperant, vti homines quibus possent rationib. in officio continerẽt: huic conditioni vti satisfacerent, priuata auctoritate in quas

quas cõmotas vrbes videretur, siue sociorũ, siue suo iudicio, vel singuli, vel plures fœderati fuerãt profecti: rebusq́. iis locis procurãdis arbitros se inter magistratum nouarumq́. Religionũ homines cõstituerant. Veniunt itaq. Tornacum tertio à sacrilegio die Esquerdius & Vilerius, legesq́. afferre se ostendunt, quibus æquissima ratione cõponi vrbis graues motus nullo momento facilè possent: Respondet Magistratus: Neque eas quas proponerent leges à Parmense esse comprobatas, neque mandata à Parmense vlla ostendi, cur admittere sese hosce duos fœderatos nobiles oporteret. Referunt fœderati tam se proficiscentibus impeditam Parmensem extitisse, vt neque iis suis legibus subscribere, neque mandata quę postularentur concipi potuerint, omnino si quem Bruxellam magistratus trãsmitteret, futurum, vti rata quæ dicerent promitterentq́. Parmensis esset habitura. Veniunt itaque dum Parmensis cõsulitur sæpius in Curiam fœderati, duo esse ostendunt quæ curari oporteat, initiò vti quę dissidia vrbi atque arci intercederent commoda qua ratione tollerentur: deinde vt plebi quæ stationibus vigiliisq́ue pauperiem contraxisset, mercesq́. vendere ob mercatorum incertos metus nullas posset pecunia subueniretur. Et quidem de priore ita fœderati cum Moilbaisio rem agere instituunt, vti de verborum contumeliis Moilbaisius assentiretur: cætera de nouo milite in arcem non adducendo, de cautione vrbi ciuibusq́ue præstãda, promittere se nisi Parmense auctore rem nullam posse ostenderet. Quod erat proximum de plebis

*Tornacum Fœderati Esquerdius & Vilerius veniunt.*

plebis pauperie eleemosynisque ita fœderati loquerentur, vti templorum conflatam supellectilem, pecuniámque à Canonicis, Monasteriis, Xenodochiis mutuò desumptam erogari in plebem oportere affirmarent: edictum postremò, quo in reos sacrilegij animaduerti Parmensis imperaret, ita interpretarentur, vti in futurum non etiam in prçteritum conceptũ edictum affirmarent. Moilbaisius nihilo segniùs intra arcem rem curare, subsidio nouum militem, Duce Beauuoirio, in arcem recipere, tormẽta bellica in vrbem dirigere: ciues contrà, excubias circum arcem frequentes habere, de nocturna in vrbem irruptione grauissimo metu trepidare, Magistratus inter securè officium prçstantem arcem, commotam plebem, mendaces ministros, vanissimosq. fœderatos cõsilij rationem difficulter inuenire. Postulârat, vti ostẽdimus, Magistratus (sic enim tota hac de Tornaco narratione, eius vrbis Consaluos libet compellare) vti quem equitem aurei velleris Parmensis ad se mitteret: siue itaque ob hæc illa Tornacensium postulata, siue quòd ad fratris prouinciam procurandam peroportunam rem eam arbitraretur, Hornæ Comitem vrbi atque arci imperaturum Parmensis ablegat. Venit itaque Tornacum Hornanus, ingentique hominum applausu effusa in vicos tota vrbe, faustisque, vti volebãt, vocibus ingrediunti, tota vrbe: Viuant Geusij, acclamant. Hinc pridie Cal. Sept. lecto mandato, tribus se de rebus edoceri à Magistratu postulat: Initiò, quçnam simultatum dissidiorumq. inter arcem atque vrbem causæ existerent, quibusque *Comes Hornæ Tornaci.*

busque

busque eas rationibus tolli posse arbitraretur: Deinde quam curam atque operam magistratus centurionésq.auertendis templorũ contumeliis prętitissent: Postremò quánam ratione ab armis ad vetus vitæ institutum reuocare plebem oporteret. Respõdet officiosè, Hornanoq́ pariturum se magistratus ostendit: Contrà Moilbaisius & Beauuoirius Hornano neq. re neq. verbis, nisi in speciem non obsequuntur: Esquerdium Vileriũque Hornano inconsulto vrbe iubent discedere. Nõ fert eam iniuriam Hornanus, multaq.de imperij sui cõtumelia apud magistratum, cæterosq. vrbis ciues cõmemorat. Tornacenses ante diem pactorum, quæ Parmensem cum fœderatis iniisse dicebamus, conciones intra vrbem nullas habuerant: Ostendit itaq. Hornanus Parmensem imperare, vti conciones intra vrbem nullę existerent. Rogatus sententiã magistratus, restitutis Catholicorum Ecclesiis non esse cur imperari rem eam oporteret, multis rationib. ostẽdit: Verùm quòd discedere à certo Parmensis imperio non liceret, leges in eam sententiam quieti restituendæ Hornanus proponit, quibus Religione Catholica restituta, non nisi extra vrbem cõcionari nouæ Religionis binos ministros permitteret. Legibus promulgatis ostendit Taffinus, Parœcias, quibus discedere reformatæ Religionis homines iuberẽtur, eò ad se ciues meliore iure pertinere, quò plures ea vrbe reformatę quàm Papisticę Religionis ciues existerent: iure itaq. omnium omnino ciuiũ expensis noua suæ Religioni templa ædificari debere. Addebat rogare vti ædificandorum eorum

curam in se magistratus suscipiat:recusat vtrumq. magistratus. Cùm itaq. conuenire magistratui cū consistorij delegatis non posset, ad Hornanum res refertur: Ostendunt ministri necessariò cōcedi id sibi deberi, vti vel generali omnium ciuium tributo,vel qua publica ærarij ratione tēpla multo maximæ melioríq. ei ciuium multitudini cōstruerentur,quæ iniuria ab vrbis Ecclesiis arceretur. Respōdet Iacobus Clericus (cuius viri & singulare erat in Religionem Catholicam studium, & excellens eruditio) Non esse quòd dicerent vrbis templa in ciuiū,sed in nullius dominio,támq. esse illa Deo, atq. eius sacrosancto cultui dicata loca, vti transferri sine iniuria ea in alium vsum non oporteret, neq.id se dare consistorio, quòd suæ Religionis homines multò maximam optimámq. conficere ciuium multitudinem profiterentur: quòd & Catholici perquàm multi vrbe existerent,atq.extra omnem controuersiam,antiqua stirpe honoratíq. vrbis ciues Religionē Catholicam sequerētur: Non arceri à se ciues Ecclesiis, sibi eam culpam ascribere eos debere, qui earum Ecclesiarum Religione deserta nouas quęsiissent: Admittere postremò Catholicos eam in se ignominiam non debere, vti à quibus grauissima maximaq́. damna accepissent, iis de suo tēpla construerent. Respondet Hornanus: Iniuria rem eam Consistoriales à Catholicis postulare, ciuiū quas vellent ædes adirent,stipem à volentibus acciperēt. Hac itaq. re definita proponunt ministri, de solis concionibus iis legibus caueri necessariò concedi sibi oportere,vti reliquis Religionis suę

ritibus

ritibus vti permitteretur. Recusat initiò Hornanus, pòst id impetrari à se patitur, vti cōciones habere iisdem legib. Tornacenses permitteret, quibus Brabantię atq. Flandrię vrbes haberent. Quæ cùm in hanc sententiam essent ab Hornano cōstituta, neq. Parmēsis adduci eò posset, vti pacta nisi ea conditione laudaret, Si pactis cum fœderatis susceptis conuenirent: multa quoq. ab Hornano vel frigidè, vel imperitè, vel magna in rebus agēdis inconstantia ita fieri dicerentur, vti eo probāte, cuniculi toto templo B. Mariæ ducerētur, maximorum criminū rei eius imperio è vinculis dimitterentur, templis hæretici non discederent, modò militares excubias ad forum concionibus destinaret, modò omnes intra vrbem conciones denegaret: fiebat vti & ab arcis præfecto multas sæpe iniurias Hornanus acciperet, & Parmensis Bruxellam honestis in speciem rationibus Hornanum vocaret. Hornano itaque re infecta sub finem mensis Octob. Tornaco digresso, Torrius Concilij Priuati Secretarius, quarto Cal. Nou. Tornacum ingreditur, legésque quieti restituendæ in eam sententiam proponit, vti Religione restituta, conciones extra vrbem permitteret, de ministris, cæterísq. de rebus quę viderentur definiret. Moilbaisius Hornano profecto, in vrbem veniebat, Torrióque suffragabatur: Recusant initiò Torrij mandatum Consistoriales, quòd ad iudices Bailliuatus mandata non pertinerent: indę flagitante à Consistoriis responsum Moilbaisio, ad legum Torrianarum titulum quo nouá Religionem Torrius Consistoriorum Religionem compel-

*Secretarius Concilij priuati de la Torre Tornaci.*

compellârat, primumque legis caput quo de Religione Catholica non violanda caueretur, ita respondent: Initio, nolle se nouæ sed reformatæ Religionis compellationem: Deinde, ita demum Catholicam Religionem tutam per se futuram, si sibi à Catholicis idoneè caueretur, futurum vti reformatæ Religionis vsum nemo turbâsset: reformatæ verò religionis vsu res istas contineri, Conciones verbi Dei, & Psalmorum publicum priuatumque cantum: Vsum Sacramentorum Baptismi & Cœnæ: Benedictionem matrimonij: Visitationem ægrotorum: Sepulturam mortuorum: Disciplinæ ordinisque Ecclesiæ rationem: Conuentus Consistoriorum, Colloquiorum, Synodorum, provt rerum atque temporum necessitas est flagitatura: Catechisandi publicè priuatímue, scholasque habēdi liberam facultatem: Legendi quosuis vulgari idiomate siue sacræ scripturæ, siue fidelium doctorum libros potestatem: Res eas si Catholici non turbarent, futurum vti nullam à se iniuriam acciperent. Hinc cùm ad alterum legum caput transire sese nisi rebus ijs definitis nolle Consistoriales affirmarent, finemque litigandi facturos eos nullum Tortius animaduerteret, retrò vnde venerat domum est reuersus. Torrio profecto ostendit Moilbaisius: Non esse cur tergiuersari diutius homines oporteret, velle vti ingenuè responderent, templis excederent, vrbeque conciones educerent. Nouis itaque altercationibus in mensem Decembrem res extrahitur, multisque intra vrbem periculosis motibus seditionibúsque ita agitatur, vti nul-

lis perlatis legibus componi, nisi milite à Noircarmio in vrbem per arcem adducto, nouis Religionibus ministrisque profligatis non potuerit. Valencenates (vti ostendimus) grauissimã Religioni iniuriam fecerant, vrbéque egressi vicinis monasteriis atque pagis parem contumeliam intulerant. Veniunt itaque Valencenas futuri rerum arbitri fœderati Geusij Lumbrius & Audrigneus: Consultus à Magistratu Noircarmius mandatam fœderatis iurisdictionem negat: multa nihilominus vterque proponit. Habebant Valencenates duos ministros, Guidonem Braïum Montensem, hominem cætera modestum, & quendam è prouincia hominem Gallum, Grangium, perquàm seditiosum: multis itaque controuersiis vrbs dissidebat. Noircarmius Magistratusque à Consistorialibus postulabant templa restituerent, conciones intra vrbem nullas haberent, peregrinos ministros dimitterent, fœderatæ nobilitatis pactis starent: contrà Consistoriales multa causantur: Duo se restituturos esse templa ostendunt, si tria sibi intra vrbem concederentur, de Braïo qui proscriptus vetere iudicio extitisset, Grangioque peregrino homine multa dicere; cur auferri à se eos verbi Dei præclaros ministros non oporteret. Multis itaque altercationibus, Magistratusque ad Noircarmiũ legationibus ita September Octoberque effluxerant, vt neque templis excederent, & præter conciones suam illam à se confictam, ingente hominum conuentu, in templo Beati Gaugerici cœnam discipulis ministri exhiberent. Non fert

*Valēcenæ. Audrigneus & Lumbrius Valēcenis*

fert eas moras Noircarmius, Magiſtratus, Conſiſtoriiq́ue fide data ad ſe Legatos Cameracum vocat: Veniunt à Magiſtratu Antonius Poivrius Dominus Roſelij, Nicolaus Viuienus, & Franciſcus Oultremannus : à Conſiſtorio Vincentius Reſtealdus: oſtendit Vincētio Noircarmius hortanturq́ue magiſtratus delegati, conditiones acciperet : Reſpondet, non placere conditiones Conſiſtorio: Ibi tum Noircarmius, Reuerteretur Vincentius, nulla tergiuerſatione tres iſtas leges Conſiſtorium reciperet: Templis in vniuerſum omnibus excederent : Locis extra vrbem deſignandis, quo ad Ordinum conuentus indiceretur, conciones haberent, breuéque ſi placeret quod tempus poſtularent, intra quod leue ædificium extra vrbem habendis cōcionibus extruerent. Conciones niſi vno per hebdomadam die non haberent, factum ſe nihilominus Noircarmium, vti alterum item diem Parmenſis adijceret. Poſtremò niſi Regis ſubditum miniſtrum non haberent. Refert rem ad Conſiſtorium, inde Conſiſtorij varias in contrarium rationes ad Noircarmium Reſtealdus : Offenſus ea hominum improbitate Noircarmius, literas à Parmenſe ad ſe Egmondano auctore in eam ſententiam conſcriptas oſtendit, quibus nulla mora templis diſcedere, extra vrbem concionari, Grangiumq́. miniſtrum dimittere Conſiſtorialibus imperaretur: multa quoque de grauiſſima Regis offenſa vrbisq́. (ni pareat) calamitate cōmemorar : diem poſtremò quo abſolutè reſponderent tertiū Cal. Nou. cōſtituit, intra quem diem ſi Quércetū ad ſe

vel non venirent, vel in propositas conditiones non consentirēt, pro hostibus habituros sese Valencenates affirmat. Veniunt itaque ad diem præstitutum Consistorij delegati, legibúsque à Noircarmio propositis subscribunt: Inde diebus aliquot pòst, quod literis facturum sese indicârat, venit ad portam Tornacensem Noircarmius, de Consistorij delegatis (quos futuros isthic ad loca concionibus destinanda arbitrabatur) diu rogitans, cùm nemo sese offerret, vrbem circumiens intra portam Montensem diu subsistit. Cùm itaque magistratu isthic præsente Consistorij delegati nulli ad se venirent, offensus hominum arrogantia petulantiaque, tercentum exauctoratis vrbis vigilibus re infecta discedit. Contemnunt eam Noircarmij offensam Ministri cœteríque eius studij homines, qui ducibus Michaële patre filioque, ditissimis eius vrbis mercatoribus, omnium præ se Regum atque Principum potentiam auctoritatemque contemnebant. Totus itaque mēsis Nouember ita ducebatur, vti Noircarmius à vicinarum vrbium præsidijs nouisque à se lectis militibus varia inferri Valencenatibus eorúmque bonis damna locis omnibus pateretur. Valencenates contrà in Regios milites (si quos fors obtulisset) vi agerent, speculatores longissimè ab vrbe, per agros, suburbiaque collocarent, ad quósuis rumores vrbe armati egrederentur, Monasterium Cartusianorum, vrbiqúe vicinas aliquot ædes ad certum obsidij metum demolirentur, vrbis vigilias qua vellent ratione pro arbitrio constituerent. Hinc sub finem Mensis Nou. tertio

Cal. De-

Cal. Decembris euocatis ad ſe magiſtratus Conſiſtoriíque delegatis oſtendit Noircarmius: Velle Regem, Parmēſemque, vti equitum turmas quatuor, peditum item ſigna quatuor in vrbem ciues admitterent, adderétq. futurum, vti eo præſidio Cõſiſtorialibus, cæteríſque ex pacto viuentibus nullam neque vim, neque iniuriam fieri permitteret, obſidémq. eius ſuæ fidei filium eſſet traditurus, curaturum ſeſe item oſtenderet, vti quiete reſtituta, vel minore vel nullo præſidio ciuibus cuſtodienda vrbs traderetur: Stare eam Regi ſententiam, vti ſi refragari huic ſuo imperio Valencenates contingeret, perduelles eos atque hoſtes eſſet habiturus: Domum itaque reuerterētur, ſequentíque ſibi die Condatum reſponſum adferrent. Reuerſi magiſtratus delegati coacto minore concilio, nullo Religionis diſcrimine honeſtiſſimis ditiſſimisq. vrbis ciuibus rem proponunt, in horam decimam nocturnam extracta deliberatione recepturum ſe quod proponeretur præſidium magiſtratus conciliúmq. affirmant. Verùm quòd Cõſiſtorij ſuprema exiſteret penes plebem auctoritas, ne inutilis ea concilij ſententia exiſteret, militibúsq. in vrbem veniẽtibus portæ clauderentur, placet Miniſtros in curiam aduocari: reſpondet Grangius: Malle, vti faucibus ſibi lingua hæreat, atq. inſtar piſcis obmuteſçat, quàm vt hoc quod proponeretur, populo perſuadeat. Reſpondet Oultremannus, Si tam ſibi Miniſtri metuerent, futurum vt diſcedendi à Noircarmio facultatem impetrarent, iniquum, vti ciues, ob paucorũ ſtudia ferer eas calamitates oporteret, quas

vrbe proſcripta metui ab irato Rege oporteret. Ibi tũ Grangius: Non eſſe cur de miniſtrorũ profectione agere eum oporteat, fore vti Deo Religio, miniſtriq́. curæ ſint futuri. Sequenti itaque die Condatum magiſtratus delegati ad Noircarmium proficiſcuntur, magiſtratus minorisq́ue concilij ſententiam exponunt: admonitos Conſiſtoriales nihildum conſtituiſſe, futurumq́ue ſeſe arbitrari affirmant, vt legatos & ipſi tranſmittant. Ibi tum excandeſcens Noircarmius, multis verborum contumeliis, capitis pœnam cõminatus, comprehendi Legatos iubet. Indignè id ferre Valencenates, multaq́ue de iure gentium violato, Noircarmiiq́ue importuna iracundia ita queri acerbè, vti rei reſtituendæ ciuibusq́ue ſedandis nulla iam ſatis idonea inueniri poſſe ratio diceretur. Quinto itaque die pòſt, accerſitos ad ſe captiuos, multisq́. de rebus admonitos, vel in vrbem reuerti, vel proficiſci quò vellẽt iubet Noircarmius. Dolet ea collegarum abſentia magiſtratui, occultisq́. nequicquã literis obnixè vti vrbe ſeſe abducat Noircarmium obteſtatur. Cùm itaque iam neq. verbis, neque cõſilio obtineri à Valẽcenatibus res poſſet, & Famarſium fœderatum nobilem moniturum reieciſſent, id eſt ſecutum, vti à militibus Condati, Sancto Amando, cæterisq́. circum vrbem locis diſpoſitis multis excurſionibus malè Valencenates acciperentur: Inde xix. Cal. Ianuarij grauiſſimo Regio edicto proſcriberentur, bonaq́. publicarẽtur: cauſę eo edicto idcirco cõmemorarentur, quòd offendi cæteras nouis Religionib. cõmotas vrbes nondũ oporte-

ret.

ret. Respōdent ad edictū longa atq. accurata oratione Valēcenates: Fœderatorū equitumq. aurei velleris fidē obtestantur, recusati à se prę̨sidij eam causam cōmemorant, quòd neq. consilia contra Regem, publicúmve rerum statū vlla suscepissent, neq. admitti sine Religionis excidio Duce Noircarmio præsidium in vrbem posset: & quidem scripto ita tum illi loquebātur, vt neq. modestiores, neq. æquè religiosi vlli tot retrò sœculis extitisse homines crederētur, facturosq. sese ostenderent, vt, sicuti Iudę̨i Petronio, Caligulæ statuam tēplo collocare volenti, ad pedes procidissent, iugulumq. præbuissent, sic fortunas, liberos, atq. vitam, Religioni se suæ, nullius cū iniuria impensuros profiterētur. Re contrà, de fœderibus, de militibus, de hominibus concitandis nefaria passim consilia susciperent, suiq. nonnūquam immemores, concionibus affirmarent, futurum vti ab occidua Flandria vsq. Cameracesium breui flamma atq. ferro crudelissimè res ageretur. Consistoria interea de Tornaco Valencenisque multa animo versabant, militum delectus in Flandria habere instituunt, Ducem sese Flādricæ militiæ profiteri quidam magister Cornelius, qui ex fabro serario minister euaserat: haud longè ab vrbe Insulana ad Marcam vicinum vrbi pagum vna se centuria ostendere, cædere eam Insulani: Magister Cornelius, ad pagum Kesenetij castra metari, auxilia ad septem ibi dies expectare, variis è locis ad Cornelium multi proficisci, ex iis quadringenti à Rassengenio in fugam coniėcti VVatrelosiū concedunt, templo isthic atque turri ad quatuor sese

*Consistoria militē in aciem educunt.*

*Nouæ militiæ varia clades totiúsque postremò exercitus ad Lanoium clades.*

horas tuentur, inde subiecto igni turre cõcremata, auxilium iis sacratis locis iure non inueniunt, quorum Religionem maiestatémque turpissimo antè sacrilegio contempserant. Habebant alios item circa Tornacum delectus certi qui duces, ij magno virtutis suæ testimonio duo Canonicorũ regularium monasteria, Virorum ad superam, mulierum ad inferam Schaldis ripam: Monasterium item Cartusianorum: Canonicorum Nobiliúmque priuatas aliquot ædes succendunt: inde iunctis cum Cornelio copiis, insolenter turpissiméque circum ea loca rem gerunt. Noircarmius, vti ostendimus, militem circum Valencenas habebat, plurésque ad eum indies milites veniebãt: Vno itaque atque eodem die quarto Cal. Ianua. duobus rusticorum millibus, tercẽtum præsidiariis Insularum peditibus, centúmque equitibus comitatus Rassengenius, meliore longè milite Noircarmius in hostem proficiscuntur: Neuter neque Rassengenius de Noircarmio, nec Noircarmius de Rassengenio exaudierat: Antè itaque quàm inuenire hostem Rassengenius posset, cæsum eum à Noircarmio, haud longè à Lannoio intelligit, ea hostium clade, vti mille quingentis amissis, cæteris dilapsis, arcem Tornacensem vndecim signis comitatus, triumphãs Noircarmius ingrederetur, vrbiq. Ioãnem Croïum Comitem Reusij eum præfectum relinqueret, qui ciuium armis in curiam delatis nullo momento omnes ministrorum altercationes plebísque concertationes componeret, inde ad suos Valencenates Noircarmius regressus, magnam Catholicis rei resti-

*Tornacũ ad officiũ reductum.*

restituendæ meliorisque in posterum Reipublicæ spem efficeret. Atque hic erat annus sextus & sexagesimus, qui omnium Regnorum atque Principum oculos in Belgas conuerterat, de cuius anni varia fortuna, atque infidis per ea tempora hominum consiliis sermonibúsque quid sentias, haud facilè dixeris. Consistoria, ministríque euersa Religione Catholica nullam nisi suam Rempublicam animo versabāt: id cùm obtinere difficulter sese posse animaduerterent, modò sola sublata legum seueritate, modò concionum, modò Religionum libertate, nulla alterius cum iniuria satisfieri sibi posse ostendebant: Cōtrà ita animo semel conceptæ cupiditati seruiebant, vti elabi rei bene gerendæ, Catholicæque Religionis subuertendæ occasionem nullam paterentur. Nostri illi maiorum gentium proceres, insanire cum ratione plebem cupiebant, quòd ea re futurum existimarent, vti & consilio suo Rex vteretur, & maiorem sibi in Rep. auctoritatem efficerent: Inde cùm modum tenere commota semel plebs minus posset, tum equidem anxia ea cogitatio animum subierat, vti & quibúsnam rationibus Regi satisfacerent, & plebem bona sua cum gratia ad officium reuocarét, non inuenirent. Fęderati nō vno item studio rem gerebant, fœderis Principes (qui nouis Religionibus vt plurimùm studebant) de proceribus multa sibi, hinc plura ipsi Consistorio plebique vanissimè promittebant: Parmensis ministros Cōsistoriáque palàm oderat, atque eam præ se rem ingenuè ferebat. Verùm quòd commotæ sese plebis

*Anni M. D. LXVI. finis.*

patronos fœderati (quos demerendos sibi Parmensis constituerat) profiterentur, neque rationem rebus componendis aliam inueniret, ita rem gerebat, vti incertis dubiisque sermonibus multorum postulata eluderet, prouinciarum præfectos nullo suo certo imperio transigere quibus vellent legibus cum Consistoriis pateretur: nullis ipsa se pactis, fœderibusque obstringeret: Pòst milite conscripto, auctoritateque recuperata, palàm contempti imperij à superbis pœnas sumeret, veterémque (quod sperare difficulter homines poterant) vniuersis omnino prouinciis quietem restitueret, pacatasque ita Regi ditiones redderet, vti quas occultis malis odiis plenas acceperat, eas detracta omni larua, morbóque explorato, faciliores obsequentiorésque quod credebatur in posterum efficeret. Ad annum itaque millesimum quingentesimum septimum & sexagesimum huius nostræ narrationis posttremũ accingamur. Rex venturum sese in Belgium sæpius ostenderat, multaque in Hispaniis ad iter comparâsse vulgò ferebatur, ineunte hoc anno raucescit ea fama, nec nisi rebus compositis venturus in Belgium nunciatur: Quin passim ea fama increbrescit, in eam sententiam Regem discessisse, vti imperij seueritate vindicandam sibi Religionis imperiique iniuriam existimaret. Consistoriales (qua sunt industria) variis ista nunciis accipiunt, de Cardinale Spinosa, Duce Albano, cæterisque Hispanis multa commemorant, diuersis itaque cuniculis rem aggredi instituunt: Modò libellis ter decies florenorũ millia

*De Ducis Albani aduentu rumor Anno M. D. LXVII.*

millia Regi numeraturos se ostendunt, si quod iure, quod suo, quod prouinciarum commodo facere Regem oporteret, vti se palàm sua Religione nulla Catholicorum cum iniuria Rex pateretur: Modò apud fœderatos scripto in eam sententiam conqueruntur, nunquam futurum existimâsse, vti quàm essent nobilissimorum hominum auctoritatem secuti, ea vel sibi damno, vel iis qui fidem dedissent dedecori in posterum esset futura: Seiungi à concionibus reliqua Religionis exercitia tam non posse, vti iis sublatis ne conciones quidem fuerint optaturi: Iampridem admonitos fœderatos, cùm aurei velleris equitum, tum sua id fide recepisse, futurum vti nulla cum iniuria frui sibi vniuersæ suæ Religionis mysteriis tandiu permitteretur, quoad Rex ex Ordinum generalium decreto totam eam controuersiam finiisset: Contrà, militum delectus haberi, infensos sibi vrbium magistratus, atque clericos dira comminari, Sancti Amandi Ecclesiam disturbatam, charissimos fratres Valencenates armato milite obsideri, cætera innoxios ad supplicia fideles rapi, causam supplicio nullo momento iudices reperire: Modò non libellis, non ex iure manu consertum, sed mage ferro, labentem è manibus rem Consistoriales repetunt ea rerum imperitia, vt qui cautè constitutis fœderibus, consilio, pecuniaque destituerentur, ij omnem & in seditiosis sermonibus salutem collocarent., & iustiores grauioresque in se Regis, Parmensisque iras indies concitarent. Bredenrodius iis temporibus

*Varij hæreticorum libelli.*

in Hol-

Bredenrodius Geusiorũ princeps à Parmẽse de officio admonitus.

in Hollandia morabatur, magnisque isthic seditiosorum hominum studiis laudibúsque colebatur: Orangius Vltratraiecto Bredenrodio tormenta bellica dono Vianam miserat, Bredenrodius Vianam nouis munitionibus firmabat, multa perexigui sui oppiduli Vianæ priuilegia summique imperij potestatem ostẽtabat: Typographos in vrbem aduocabat, libros quos vellẽt excudere patiebatur, custodes militesque pro arbitrio vrbi imponebat, infestos sibi vetere odio Vltratraiectinos multis ad Leccę fluminis ripam incommodis diuexabat: sculpta eius imago Geusico habitu cum his versibus prostabat:

*Sum Brederodus ego, Batauæ non infima stirpis*
*Gloria, virtutem non vnica pagina claudit.*

Postremò ij multorum sermones ferebantur, vti ad Hollandiæ Comitatum Frisiæque vetus regnum iure gentilitio breui rediturus Bredenrodius magno hæreticorum applausu diceretur. Ad hunc itaque Bredenrodium (in quem vnum sese factiosorum hominum cogitationes conuerterant, quique vnus facillimè omnem Regis obseruantiam metúmque rerum futurarum pro ingenio depositurus credebatur) Legatos, Quarebbiũ Prętorem Louaniensem, & illum quem dicebamus Torrium Parmẽsis ablegat. Ostendunt Bredenrodio Legati: Sperâsse Parmensem, vti Inquisitione edictisque sublatis (quod futurum Bredenrodius cœterique fœderati promiserant) ad officium homines reuerterentur, tam eo suo beneficio rem eam non esse Parmensem cõsecutam, vti contrà laxata in omne scelus effrene pessimorum ho-

rum hominum audacia turpiſſimis res motibus ſit concuſſa. Cùm itaque neceſſariò ad arma res redierit, imperâſſe Regem, vti qui ſibi homines ſacramento militari tenerentur, eos Parmẽſis de ſacramẽto denuo rogaret: Cupere itaq. Parmenſem, vti Bredenrodius iuriſiurãdi Religionem in hanc ſententiam repeteret: Regi qua vellet Rex conditione, in quos vellet iuberétq. hoſtes, bona fide ſe militaturũ, fœdera nulla habiturum, ſuſceptis renunciaturum. Reſpõdet modeſtè Bredenrodius, nullam adferri cauſam, cur de ſe, tam ſui Principis perquàm ſtudioſo atque fido Vaſſallo dubitare Parmenſem oporteat, libenter ad Parmenſem ſeſe profecturum, cauſamq́ue iſtius diffidentiæ rogaturum: Ibi tum Legati, feciſſe quod à Bredenrodio poſtularẽt, Arſchotanum, Egmõdanum, Mansfeldium, Megemum, Barlaymontium: Malè Regi poſtulanti recuſari, quod neque cum vllo illius eſſet damno coniunctum, à quo poſtularetur, & Regi pergratum exiſteret: multos reperiri factioſos homines, qui Principẽ ſuorum ſtudiorum Bredenrodium laudarent, iis hominibus in officio retinẽdis peroportunam eam iuriſiurandi repetitionem futuram. Reſpondet Bredenrodius, pręſtare ſe alienos ſermones atq. linguas non debere: Arſchotani, cæterorumq́. ad ſe exempla minus pertinere: publicorum id ab iis munerum rationem poſtulare, ſibi homini priuato, ſi ſemel iurato non crederetur, non intelligere cur iterum iuranti credi oporteat: De fœderibus quod diceretur, ſtare ſe iis pactis, de quibus cum Parmenſe conueniſſet: alia ſeſe fœdera pactáve

nulla

nulla ſuſcepiſſe, veteris ſacramenti Religionem ſacroſanctam ſibi futuram:libentiſſimé que ſeditioſos ſeſe homines armis oppugnaturum. Hinc denuo Legati: Intelligere Parmenſem cõmuniri nouo opere Vianam,neq.ſine Regis auctoritate, neq.fieri rem eam nũc debere,ab opere itaq.deſiſteret, metumq́. nouæ arcis à Rheni ripa vrbéq. Vltratraiecto amoueret. Reſpondet Bredenrodius,Perexiguum eſſe opus pro paupere ſuo loculo:vrbem in Regis Parmenſisq́. poteſtate exiſtere:pateretur itaq. vti quod neceſſariò contra prædones opus inchoâſſet perficere ſibi liceret. Hinc iterum Delegati mandatorum ſuorum altera duo capita proponunt: Prius de militibus à Bredenrodio cõſcriptis,delectibúsq. Antuerpię, & circum Vianam nonnullis ab eo habitis. Alterum,improbatę lectionis libros Vianę excudi,& in his eum librum,qui cõfeſſionis Auguſtanæ, & ſectæ Caluinianæ cõcordiam profiteretur, cuius libri exemplaria Viana Amſterodamũ eſſent delata. Reſpondet Bredenrodius, iniuriam ſibi facere qui de militibus apud Parmenſem calumniarentur, veniſſe ad ſe ſuperiori hebdomada Vltraiectinos,rogâſſe,num qui inter Vianam & Vltratraiectum milites coiiſſent,ſibi militarent, dixiſſe ſe quod res erat,neq.ſuos illos eſſe milites,& pati ſeſe poſſe vt armis coërcerentur. Quin antè quàm in Hollãdiam ad Orangiũ proficiſceretur, imperâſſe ſe ſuîs ſubditis, vti armis eam nouam militiam tota ſua ditione profligarent:nullos regiis ditionibus à ſe militum eſſe delectus inſtitutos, quod Vianæ feciſſet, ad vrbis ſuæ cuſtodiam

pertinere: De libris quod proponeretur, duobus ſe Typographis imprimendi poteſtatem feciſſe, nolle ſe, vti ea auctoritate malè vtantur: admonitum ſeſe hac ipſa de re à Parmēſe in crimen inquiſiiſſe, referre ſibi quæſitores, neq. eo crimine reos teneri, neq. teſtimonia à delatoribus vlla adferri, factùrum ſe cumprimum Vianam eſt rediturus, vti Parmenſi ſatisfiat. Egmondanus, quod Legatos dixiſſe oſtendimus, nouo iureiurando fidem nulla exceptione Regi Parmenſiq. obligârat, literásq. ad Flandriæ Conſiſtoria perſcripſerat, quibus contrà quàm pactis conueniſſet, multa eos ſeditioſè facere oſtenderet, nulláq. idcirco in poſterum eorum ſe pactorum fide teneri affirmaret, quorū fidem auctoritatémq. priores violâſſent: rogaret itaque, iuberétque, vti ab omni ſuæ Religionis profeſſione abſtinerēt, templa quod cœpiſſent, non extruerēt, Regi res eas imperāti parerent. Magnæ itaq. hanc illam Egmondani voluntatem ſententiámq. rerum cōmutationes conſequuntur. Geuſij apud Parmenſem multi ſe expurgant, Conſiſtoriales conſiliorū rationem atque modum nullum cogitando inueniunt: Nobiliū vulgus prouinciatim per prouinciarū præfectos de iureiurādo rogatus ingente multitudine, nulla mora in officio ſe futurum oſtendit. Faciunt idem omnibus locis veterani milites, atque duces. Quin vrbium Catholicarum cæterarúmque magiſtratus priorum menſium iniurias recuperata auctoritate, vel edictis, vel re ſeuerè vindicare inſtituunt. Auxerat ea hominum ſtudia Dux Areſchoti, qui per vrbem Hallas Bruxellſam

*Egmōdani officia, magnaque toto Belgio voluntatū ſtudiorūmque commutationes.*

profectus

profectus, imagines B. Mariæ virginis sibi multisque nobilibus ea hominum opinione affixerat, vti ea nota magnā facturus Catholicæ nobilitatis societatem crederetur. Tanta adeo celeritate è grauissimorum periculorum metu in optimam sese spem res erexerant: semel enim Geusicorum consiliorum instabilitate infirmitatéque detecta, nullo homines momēto in eam sese partem conuerterant, quam & officij & securitatis certam habere rationem arbitrabantur. Buscumducis maximis grauissimisque motibus ęstuabat, neque restituere vrbis quietem missi à Parmense Scheifuius Brabantiæ Cancellarius, & Merodius Petersemij Dominus ob insanas ministrorum conciones, ob seditiosos Antonij Bombergij cuiusdam Agilei, paucorum item aliorum factiosorum hominum conatus, nisi quarto mense pòst quàm venissent, non potuerant. Multis itaque altercationibus eò res fuerat deducta, vti pacta susciperentur, quibus conciones intra vrbem vetarentur, ministrisque certę quę leges præscriberētur. Non placebant conditiones Caluinistis, neque Parmensis tantum iis tribuebat, vt legibus eos parituros existimaret. Megemus legionem peditum in Geldria Cliuiàque conscripserat, Parmense itaque imperante ad portam Vuchtiam Busciducensibus sese ostendit: Mandâsse sibi Parmensem affirmat, vti militem in vrbem adducēret, Parmensisque eas literas in vrbem transmittit, quibus perhumaniter de officio commonerētur, præsidiúmque necessariis vrbi de causis imperaretur. Busciducensibus veteres simultates ob

*Busciducis tumultus.*

vicinæ

vicinæ vrbis Megemi iuriſdictionem multæ cum Megemo intercedebant: vt primùm itaque ad eam portam eſt cōſpectus, tumultuari intra vrbem eſt inceptum. Bombergius eam apud Conſiſtoriales auctoritatem tenebat, vt quæ illi conſilia verbis laudarent ea re exequeretur, principemq́ue ſe factioſis ea vrbe hominibus exhiberet. Ad Megemi itaque aduentum commota vrbe vnus Bombergius vrbis imperium accipere, Cancellario, Merodióque manus inijcere, captos de perduellione, de ſuſceptis cum Megemo in vrbis perniciem occultis cōſiliis accuſare, multis verborum contumeliis dolo malo perſuaſa pacta Cancellario, Peterſemióque exprobrare: Magiſtratui eum metum concitare, vti quatuor vrbis centuriones (ſic enim capitaneos libet cōpellare) quibus vniuerſæ vrbis ciues parebant, apud vnum Bombergium ſacramenta dicere pateretur, Bombergius ea lege ſupremum militiæ imperium acciperet, vti Catholicos cæteróſque pari fide tutelaque contra Megemum defenſurus diceretur. Megemus itaq. Buſcoducis digreſſus Vltratraiectum proficiſcitur, atque iſthic milite in vrbem adducto, nullo mométo hæreticorum collegia diſturbat: Bredenrodium qui Vianam nouis operibus militibusq́ue communierat, & ad Rheni cataractas, quibus veteris Rheni foſſa Leccæ coniungitur militem collocârat, metu Viana depellit, pôſt, expugnata cataractarum munitione in ſummas conijcit rerum difficultates: quę res vt maximè ita fierent, multumq. indies Caluiniſtis de auctoritate imperioq. decederet,

*Vltratraiecti quies reſtituta.*

*Noua Traiectiſium ad Moſā, Haſſeleti & Maſeciæ ſeditiones.*

V diuerſa

diuersa nihilominus regione turbare rem Ministri aggrediuntur. Profectus Traiectum ad Mosam Minister Hermannus, quem dicebamus, eas isthic turbas mouet, vti Cal. Ianuarij (quibus veteris anni exemplo sapere homines oportebat) in templa monasteriaque crudelissimè furibundi Caluinistæ debaccharentur: sequerentur exemplum Maseica & Hasseletum: quæ vrbes ad Episcopum Leodiensem pertinebant. Traiectum pro indiuiso Dux Brabantiæ & Episcopus eo iure obtinent, vti summi imperij auctoritas penes vtrumque existat, ciues matris conditionem sequantur, vtrique & Brabantini & Leodienses ab vtroque Principe lecto magistratui pareant. Gerardus Groesbecius Episcopus gratia apud Leodienses plurimùm valebat, siue quòd prudentiæ magna eius laus existeret, siue quòd in imperio singulari temperantia modestiaque vti consuêsset. Cùm itaque periculosis ijs motibus iactari suam ditionem Episcopus animaduertit, maturè ita rem curare instituit, vti Traiectensibus de officio nequicquam commonitis, Hasseletum admotis castris mœnibusque deiectis, deditione Maseicam obsidionis metu in potestatem acciperet: Hermãnus fuga dilapsus supplicium euaderet. Parmensis de Buscoducis multa animo versabat, tum quòd militis recusati crimen legatorumque contumelia ad grauem imperij sui contumeliam pertinerent, tum quòd potentem eam vrbem in Cliuiæ confinio constitutam peropportunam Geusijs si pergerent futuram ànimaduerteret: multis itaq. literis de officio Buscoducẽses

*Buscoducum.*

com-

commonefacit. Reſpondet Bõbergius Orangij Hoochſtrataniq́ue imperio legatos detineri. Negant rem vterque, ſcriptisq́ue ad Parmenſem literis mentiri Bombergium aſſeuerant. Ibi tum Bombergius Bredenrodium auctorem laudare: Rogatus Bredenrodius de ſe negat, de nonnullis fœdere ſibi coniunctis (quorum auctoritate rem eam Bombergius feciſſet) audiſſe ſe affirmat. Re itaque deliberata antè quàm ea vrbe conſtituere de nouo imperio rem vllam Geuſios poſſe arbitraretur, menſe Martio apparitorem (Oſtiarium armorum vulgò dicimus) vnà cum fœciali æneatore Buſcũducis Parmenſis tranſmittit. Ingreditur vrbem Oſtiarius, fœcialem extra vrbem relinquit, coactoq́ue vrbis magiſtratu, qui tribus iſthic ordinibus deſcribitur atq. vnà quatuor vrbis centurionibus, nouarum item Religionum delegatis, & Antonio Bombergio, in eam ſententiam proloquitur, vti de Legatorum in vrbem meritis, Parmenſisq́ue quæ legâſſet auctoritate nõnulla præfatus, iniuria legatos ob Megemi aduentũ retineri affirmaret, quòd neq. cum Megemo cõſilia jnijſſet, & Megemus (quod literis Parmenſis docuiſſet) ea de cauſa ad vrbem acceſſiſſet vt non in vrbem irrũperet, ſed pacatum eum militem in vrbem adduceret, quò tuta in poſterum ciuitas quieſceret: Dicere Bombergium, Orangij, Hoochſtrataniq́.auctoritate rem eam ſe feciſſe, proferre ſeſe vtriuſq.literas, quibus rem eam negarẽt: facere idem Bredenrodiũ, qui literis ad Orangium hoc item à ſe imperatum negaret: Iure gẽtium ſacroſanctos eſſe legatos, ſupremũ eſſe in

Brabantia Cancellarij dignitatem, honestissimũ item ordinem inter Brabātię Barones Petersemiũ tenere, Regi iniuriam facere qui legatos violarent. Velle itaque iubereq́. Parmensem, vti intra horas quatuor & viginti legatos missos facerent, missosq́. sine iniuria fide optima vrbe discedere domumq́. reuerti paterentur, ijs suis mandatis si parere recusarent, hostes sese Buscoducẽses pronunciaturum. Respōdet magistratus, parere sese Parmẽsis imperio, neq. per se stare quo minùs legati vrbe discedant: Centuriones nouæq. religionis delegati deliberaturos se affirmant: respōdet itaque die insequenti pro Caluinistis Agileus, nō pertinere ad se Ostiarij mādata, neq. Parmensem vti secum ea de re ageret imperâsse. Refert Ostiarius & literis quas ostendisset nominatim caueri vt sibi fidem Buscoducenses haberent, & ciuium generali compellatione Caluinistas cōtineri, qui nouum in ea vrbe ordinem per se nullum facerẽt. Respondent item Centuriones, magistratus auctoritate Bombergio se parere, iurisiurandi religione impediri quo minus respōdere seorsim sibi liceat. Bombergius, dum magistratus deliberat quibúsnam rationibus satisfieri Parmensi possit, assumptis secum quinquaginta militibus, ad singulas vrbis portas per summum tumultum ciuibus claues portarum vi extorquet, domumq́ue clauibus relatis noua proditione tẽtari vrbem insanis vocibus proclamat. Indignè eam contumeliam fert magistratus, multis cōuentibus nequicquam de clauibus recuperādis laborat: Captiui legati, quibus cum Ostiarius deliberabat, venire in

vrbem bellum denunciaturũ fœcialem nolebãt. Accedit itaq. Bombergium Oſtiarius, rogat diſcedendi poteſtatem ſibi faceret. Reſpõdet, diſcederet, Dominæ ſuę renunciaret, antè ſe legatos non eſſe dimiſſurum, quàm hoc ſibi Bredenrodius imperaret: Cancellario eos ſeſe cuſtodes eſſe adhibiturum quos fallere difficulter poſſet. Reuertitur itaq. Bruxellam re infecta Oſtiarius, multisq cõtumelijs Cancellarium, indulgentiùs Peterſemium Bombergius habet. Caluiniſtæ (quod demonſtrauimus, moleſtè hanc imperij ſui calamitatem ferebant, libello itaque apud fœderatos in hanc ſententiam conqueruntur: Libello quo menſe Aprili nobilitas Parmẽſi ſupplicâſſet, inde ijs pactis quæ menſe Auguſto cum Parmenſe ſuſcepiſſet, multis poſtremò fœderatorum ſermonibus in eam ſeſe ſpem adductos fuiſſe, futurum vt religione ſibi ſua frui permitteretur, rogâſſe (quòd de ſolis concionibus pacta loquerentur) cæteráne Religionis ſuæ exercitia ea voce continerentur. Reſpondiſſe fœderatos, contineri: contrà ita rem eam Parmenſem vrbiumque magiſtratus accipere, vti præter conciones reliqua Religionis miniſteria inter crimina deputarent, grauiſſimis crudeliſſimisque ea pœnis coërcerẽt, vi armata conuentus diſturbarent, miniſtros comprehenſos laqueo ſuſpenderent, tã à veterum edictorum inquiſitionisque barbarie non diſcederent, vti maiore etiam odio atque ira in Fideles ſæuirent: ijs equidem rebus in eam ſententiam ſe adduci, vti dolo malo quoad auxilia compararent rem pro arbitrio conſtitue-

*Caluiniſtarum ad fœderatos libellus.*

rent, ludere se ea ratione suos hostes voluisse arbitrētur. Videre fœderatos, quo periculo fratres Valēcenates consistant; omnino si hæc est illis res è voto successura, nullā breui ecclesiam toto Belgio tutam futuram: Magni itaq. nobilitatis interesse vti huius in se rei curam suscipiat, quòd neq. sine graui contumelia violari ea pacta conueniat, de quibus fide publica conuenisset, neq. sibi à fœderata nobilitate imponi debuerit. Bredérodius ijs temporibus Antuerpiæ existebat, militumque (vti ferebatur) delectus clàm habebat, multi quoque ad Bredenrodium Amsterodamum fœderati conuenerant. Parmensis contrà Bruxellæ amotis circum Palatiū tabernis, maiore quàm consuêsset præsidio se communit: vigilibus Bredenrodium atq. vnà fœderatos numero ad XXVI. vrbe vti arcerent iubet. VI. itaq. Id. Febr. Parmensi in hanc sententiam scribunt fœderati, vti de vetere rerum statu, de pactis mēsis Augusti initio multa cōmemorarent, hinc in eum sermonem ingrederētur, vti connexam concionum cęterorumq. ministeriorum rationem esse ostenderent, prouinciarum præfectos ita passim rem eam intellexisse affirmarēt, sese ita rem eam interpretatos esse profiterentur; contrà quàm pactis conuenisset, quàm fides, quàm suæ dignitatis ratio pateretur, ob religionē in homines animaduerti, multis quoq. locis in solas innoxias cōciones sæuiri: Accedere vti multis nouis edictis, pactis repugnaretur, militū magni delectus omnibus locis haberentur, nullum imminere peregrinum hostem, vnos esse se fœderatos quos ea militia spectaret, vrbibus sibi interdici, iti-

*Bredenrodij & fœderatorū noua à Parmense postulata.*

ci, iti-

c,itinera militib. obsideri ab iis,vnis sibi vim fieri:Per eam itaq.quam Regi fidem, Parmensi obseruantiam,patrię charitatem deberent postulare,vti nouis edictis sublatis, militeq. dimisso frui se populumq.promissa securitate pateretur, rem eam si negaret,vereri vti infinitis cædibus grauissimisq. motibus Resp.conturbetur. Respondet IIII. Cal.Mart. Bredenrodio multa verborum sententiarumq.grauitate Parmensis;Magnam sibi facere iniuriam qui de concessis à se nouis Religionibus calumniarentur:inuitam summo animi cũ dolore fecisse, vti quibus locis conciones tum haberentur,per ea loca si à scandalo atq.opprobrio abstineretur,imperio atq. vi nõ vsuram se in cõciones promitteret:& quidem ea ratione adductam id se promisisse,vti armis depositis quę plebs assumpsisset,legitima qua ratione à concionibus homines abducerentur.Verùm vt Cõsistoria nouos creare Magistratus, tributa indicere, ingentes pecuniarũ summas à plebe accipere, doctrinam ordinémq.ecclesiæ nouum constituere, matrimonia Baptismúmq.nouis legibus atq.ritu suscipere,cæteraq.tot atque tanta facere eos permitteret,quãta sine certa Reip.pernicie non possunt,id certè quibus persuadeát,perpaucos equidem futuros:Pluris enim sibi religionis,Reip.lociq.quem tenerent rationẽ semper extitisse,quàm vti in res tam se indignas atq.turpes consentiret, ab iis itaq. qui res eas promisissent, nõ etiam à se postulari earũ rerum pręstationem debere.De securitate quod Bredenrodius cęterique fœderati proponerét,intelligere fœderatos in præteritum

*Parmēsis responsum*

non etiam in futurum cònceptam fuisse eam securitatis cautionem, quæ mensis Augusti conditionibus contineretur, neque aliud tum se nobilitati cauisse, quàm vti libellum mensis Aprilis nemini damno iniuriæve futurum intelligerent: Iure iis se irasci, qui tantam sibi contumeliam facerent, magnasque Regem causas habere, cur ferre eorum hominum improbitatem non oporteat, qui verbo obsequium atque fidem prę se ferrēt, re grauissimis sese criminibus sceleribúsque obstringerent: accusari se quòd contra pacta conuēta iniuriam vel suis edictis, vel magistratuum auctoritate nonnulli acciperent, iis acceptum ferre eum dolorem fœderatos debere, qui pacta aliter quàm oportuit fuissent interpretati, vrbium magistratus officium præclarè præstitisse: si quo negocio iusto dolori plus ęquo magistratus indulsisset, ad se referri res eas debuisse: cæterum qui tam de se tragicè quererentur, eorum item recordari debuisse, quæ præter pacta tam facerēt multa flagitiosè: Templa direpta, vrbes ad seditionē concitatas, peregrinas ditiones ad sceleris societatem cohortatas, in aciem productos milites, de vrbium agrorúmque vastitate suscepta consilia, monasteria atque arces exustas: literis è suis illis ad Lanoium castris Valencenas transmissis in Regem totámque adeo Remp. iactata opprobria atque minas. Quod de edictis militibusque quererentur, non commissuram se vti quibus iure diuino legitimóq. vti sibi præsidiis permitteretur, iis se ad certam Reip. perniciem exarmaret: Domum itaque reuerterentur, publicis negociis abstinerent,

ſtinerent, turpes atque indecoras eſſe eas commi-
nationes quibus vterentur, prudentes futuros, ſi
in poſterùm iis parciùs vterentur: huic ſuo con-
ſilio ſi parere recuſarent, & Regem & ſe contem-
pti imperij iuſtiſſimas ab iis eſſe pœnas ſumptu-
rum. Atque hęc pluráq. Parmẽſis, multa, vti dice-
bamus, verborum ſententiarúmq. dignitate, quę
vt typis excuſa in vulgus ſunt elata, tum magna
equidem rerum cõmutatione ſtrenuè pro ſe quiſ-
que rem gerere. Franciſcus Alaua Hiſpanus Re- *Procerum*
gius in Galliis Legatus multas noſtris hominibus *aliquot*
iuſtiſſimi grauiſſimiq́. metus cauſas loquẽdi ſcri- *Teneramõ-*
bendique calore ſæpius dederat: huius itaque ſub *da conuẽ-*
finem Dec. alteræ quædam literæ interceptæ ad *tus.*
Orangium perferũtur, quibus ſummatim arcana
Regis conſilia Parmenſi perſcriberet: eæ ſanè li-
teræ, quę & ſermonis contextu veræ crederẽtur,
& ea continerent quibus commoueri vel leniſſi-
mos æquiſſimóſque hominum animos oporte-
bat. Scripſerat quoque ad fratrem Hornanum ex
Hiſpaniis Mõtigneus eas literas, quibus fratrem
cęteróſque de officio commonefaceret, multáq.
de Regis graui offenſa commemoraret. Antè ita-
que quàm Bredenrodius quæ oſtẽdimus, ad Par-
menſem perſcriberet, Teneramondam vrbem
Flandriæ Orangius, Egmondanus, Hornanus,
Hoochſtratanus, & Comes Ludouicus conue-
niunt. Egmondanus venire Orãgium Bruxellam
cupiebat; contrà Orangius Bruxellam certis de
cauſis venire ſe tutò non poſſe oſtendit: lectis ita-
que iis Alauæ & Montignei literis, multa Oran-
gius in eam ſententiam dicere, vt neque vi de ſuſ-

cepta Religione depellendos homines profiteretur,& contra imminẽtem ex Hiſpaniis ſiue iratum Regem, ſiue quam aliam militiam tempeſtiuè de ſalute cogitari debere affirmaret. Ludouicus fratri aſſentiebatur,multaq.de Germanicis auxiliis in medium adferebat. Egmondanus ab Orangij amicitia non diſceſſerat, neq. cur diſcedere ſe oporteret cauſam homo omnium minimè ſuſpicax vllam inueniebat. Acciderat nihilominus vti iis motibus paululum ſedatis, qui vno veluti impetu menſe Auguſto irruerant,celeritatéque,conſilij rationem conturbârant,totum ſeſe Egmondanus ad Caluiniſtas coërcendos ita cõuerteret,vti impetratis à Clero Flandrię octuaginta florenorũ millibus,Parmenſe auctore,mille quingentos milites conſcriberet, eos tota Flãdria oportunis locis collocaret:quæ res cùm cõtinendis in officio Caluiniſtis non ſufficeret, & è Flandria quos ad Lanoium cæſos dicebamus milites Caluiniſtæ in aciem produxiſſent, tum id à Parmenſe Egmondanus impetrârat,vti alios ſibi octingentos milites legere permitteretur. Betuniæ itaq.delectu habito,initiò ex armatis Laleuanis, inde Flãdriæ eas leges dixerat, vti præter Gandauum,Ipras,atq.Aldenardum, loca cætera à concionibus cõuentibusq́. per ſpeciem dilatarum concionũ abſtinerent; laudaret eam Egmõdani virtutem atq.fidem Parmenſis: multisque à Viglio,cęterisque Senatoribus officiis coleretur: iis rebus id accederet,vti pręclarè ſe de Rege meritum timere eius offenſam non debere exiſtimaret,plurisq́.& veteres res ſuas bene geſtas, & hæc poſtrema ſua ſtudia fucatosq. multorum ſermo-
nes,

nes, quàm illorũ quos offendisset sensus æstimaret, planè itaq. atq. ingenuè Regi non esse se repugnaturũ hoc illo Teneramondano conuentu Egmondanus ostẽdit. Vilerius (qui Teneramondę tũ existebat, & ab Albano capite est truncatus) nonnullos Orangij sermones consiliaq. probâsse eo conuentu Egmondanũ quęstionibus affirmauit: at laborat huius hominis testimonium, sic enim à fratre Ioanne Gheri Franciscano accepi, dixisse sibi moriturũ Vilerium, falsò à se accusatũ Egmondanum, eiusq. se calumniæ culpã deprecari, rogareq. quòd tympanis circũsonantib. exaudiri moriens à circumstantibus non posset, vti rem eam Albano denũciaret. Siue itaq. huius sui testimonij, siue cuius alterius falsi crimen Vilerius fateretur, certè Egmondanũ hoc isto Teneramõdano conuentu ab Orãgio dissensisse, cùm Orangij sermonib. tum multis grauissimis aliis testimoniis est compertũ. Hornanus suo more militariter multa iactabat: de Hoochstratano obscura fama est: Vnus Ludouicus liberrimè de auxiliis cæterisq. de reb. quæ viderẽtur ita loquebatur, vti pecuniis vndecũque collectis in Germaniam proficisceretur, adducturus inde in Belgium quatuor millia equitum, signa peditũ quadraginta, copiasq. sollicitaturus, quibus Gotham iis tẽporibus Augustus dux Saxoniæ imperij auctoritate obsidere diceretur: nulla itaq. re certa cõstituta reuertitur Bruxellam Egmõdanus, Parmensiq. Alauæ literas ostẽdit. Orangius cõtrà, Germanos aliquos Duces, militésq. pecunia sibi oppignorat: In Zelandia per Boxteliũ quędã isthic suspecta parmẽsi de Insularũ munitio nibus

*Orangius Germanos milites sibi oppignorat.*

nibus constituit, ea Parmensis cum contumelia, vt Zeeburgi præfectus Orangij imperio missos à Parmense milites recusaret. Bredenrodius omnium, quod ostẽdimus, Geusiorum princeps existebat: in hunc itaque conuersa Caluinistarũ studia, hunc vnũ tot iniuriis vlciscendis Ducem postulabant. Parmensis de militibus non nisi suo imperio legendis multa sæpenumero edixerat: contemnit rem eam Bredenrodius: Antuerpiæ per certos isthic homines militem legit: Parmensis Orangium ea de re commonefacit: clàm itaq. conniuente, quod existimatur, Orangio, Antuerpia Duces militésque nauigio discedunt, accedũt plures in itinere, quod in Hollandiam ad Bredenrodium suscipere sese profiterentur. Parmensis, quod res erat, Zelãdiam cogitare istam militiam arbitrabatur. Rebus itaque in Flandriæ littoribus ab Egmondano ita procuratis, vti, si in VValchriã venire Tholousium nouæ militię Ducem contingeret, alio quo itinere è Flandria militem in insulam adduceret, insulanos de periculo cõmonefacit. Repulsus itaque Tholousius, retrò vnde venerat conscenso flumine Antuerpiam contendit, aggeribusq. ad Oustervvelium, fossis valloque communire castra constituit. Parmensis (siue quòd Antuerpiæ metueret, siue quòd eas breui copias habituri hostes dicerentur, quibus vincẽdis nisi iustus exercitus non sufficeret) celerrimè curandam sibi rem arbitratur: Noircarmio Valẽcenam obsidẽti auferri miles non poterat: Beauuoirio itaq. è Bruxellensi pręsidio quadringentos milites, duo signa Axelia ab Egmondano submissa, aliis

*Bredenrodius militẽ cõscribit.*

*Tholousius exercitum conscribit.*

*Tholousij exercitus casus.*

sa,aliis item è locis nonnulla Parmẽsis attribuit. Profectus Beauuoirius III. Id. Mart. hora sexta matutina cum hoste eo euentu cõfligit, vti Tholousio cæso militibus vel intra ædes exustis, vel flumine submersis,vel pugnando interemptis,ingenti è numero,fuga salutem perpauci inuenirẽt, captiui in Beauuoirij potestatem tercentum peruenirẽt,eos iugulari ad vnum omnes idcirco imperaret,quòd erupturi Antuerpienses hostibúsq. subsidio venturi dicerẽtur.Antuerpienses è mœnibus conflictum spectabant,magnaq. animi indignatione cùm vicinas vrbi flammas, tum insolitas miserorum quos dicerent fidelium fratrúmque suorum cędes intuebantur:armis itaque correptis nullo certo Duce ad Pontem Merium numero ad xv. millia Caluinistę conueniunt,sexdecimque correptis maximis vrbis tormentis pontis aditus communiunt.Orangius,quod ostendimus,mense Sept.signa aliquot Catholicorũ modestorúmque ciuium conscripserat: Vt primùm itaque de Caluinistis est exauditum,sonarique vt tumultu,sic tympana tota vrbe cœperunt,confestim forum curiamque octo signa præsidiariorũ militum inuadunt: Caluinistas qui ponte Merio conuenerant, ad forum accedere nõ permittunt. Indignè id ferre Caluinistæ, ad pontem Coperbruggium altera quatuor Caluinistarũ se millia conferre,collatisq. cum iis qui ad Merium cõstiterant consiliis de foro curiaq. inuadẽda delibe- rare. Orãgius atq. Hoochstratanus magna animi moderatione prudẽtiaque, & (quod fateri est necesse) summo studio diligentiaq. omnem in partem vigi-

*Antuerpiæ grauissimus tumultus.*

tem vigilare. Accedit itaque Coperbruggianos Hoochstratanus, multa ibi homines seditiosè proditorem Hoochstratanũ compellare, armis minari, sclopeta in pectus protẽdere: Blandè agere Hoochstratanus, eò rem adducere, vti Coperbruggio deductam vnà secum ad Merium omnẽ eam hominum multitudinem adduceret. Erat tũ in ponte Merio Orangius, atq. vnà cum Stralio de re cõponenda grauiter laborabat: Respõdent Caluinistæ, iniuria sese foro atq. curia arceri, tam sibi quàm militibus ea loca patere debere. Respõdet Orangius, Si in foro atq. curia insolẽter rem nullam acturos se promitterent, futurum vt promiscuè vnà cum militib. excubias iis locis habere permitteretur. Placet conditio: Vix dum probata conditione claues sibi tradi, vrbisq́. sibi portas confestim aperiri Caluinistę idcirco postulãt, quòd magnam lectissimorum ciuium manum ad vlciscendam fratrũ cædem vrbe se emittere velle profiterentur: Nec mora, è ponte Merio ad portam cõcurritur: Orangióq. præsente refracto minore ostio, summo cum tumultu rem agere instituunt: Ibi tum Orangius, Egrederentur: sexcentos esse in suburbiis instructos equites: si sibi minus crederent futurum vti suo ipsi periculo saperent: in vrbem se reuerti, necessariò deseri eos debere, qui se contempto isto modo rem agerent. Quæ Orangij verba vt sunt exaudita, Orangiũq. redire homines conspexerunt, ira sedata retrò ad pontem Merium reuertuntur: atq. isthic in horã septimam vespertinam eo euentu de foro litigãt, vti è Merio nonnulla signa in forum, & è foro nonnul-

nõnulla in Meriũ ad instantes nocturnas excubias adducerentur, iunctísq. isthic copiis: Viuãt Geusij, faustis salutationib. sæpius atq. diu toto foro Merioque clamaretur. Die insequente Prid. Id. Martij domũ ab excubijs Caluinistæ non discedũt: armati per ecclesias monasteriaq́. discurrunt, Presbyteros atq. Monachos ędibus profligãt, magnisq́. vrbem atq. diuitum tabernas motibus conturbant. Non fert eam pessimorum hominũ insolentiam Orangius: sub vesperam itaq. re cũ magistratu, Decanis, mercatoribusq́. deliberata, vi armata agere cũ Caluinistis instituit. Idib. itaq. Ostrelingis, Alemannis, Italis, Hispanis, Lusitanis, Anglis mercatoribus comitatus, ingente cõtracta eorum hominum manu qui cõfessionem Augustanam sequi se profiterentur, multisq́. bonorum ciuiũ coactis copijs, ea hominũ multitudine, quæ quadruplo Caluinistis maior existeret, vnà cum Hoochstratano rem aggreditur. Caluinistæ contrà tota vrbe excitis hominibus, multa quoq. verbis moliri, verùm quòd pares tantę hominũ multitudini non existerent, per suos illos Ministros, eosdem & Euangelij & belli Principes, pacem ijs conditionib. postulãt, vti armis depositis, eas leges acciperent, quas pridie recusârant. Erant autem earum legum ista capita: Fidem Regi atq. vrbi præstarent: Militem peregrinum intra vrbem, nisi assentiẽtibus omnibus in vniuersum vrbis collegijs, Orangius Magistratusq́. non admitterent: Priuilegia vrbi iurata conseruarẽtur: Pacta mensis Sept. rata existerent: Diuersarum religionum homines tranquillè rem haberent: Portarum claues Orangius haberet, ijs pro arbitrio vteretur:

Noctur-

Nocturnas diurnasque excubias nullo Religionis discrimine accuratè ciues haberent: Amnestia omnis rerum præteritarum memoria deleretur: Quibus eius diei excubiæ imperatæ non existerent domum reuerterentur: Orangius, vrbísque collegia quadringentos equites legerent, nauésq. in flumine bellicas haberent: Ciues clericíque pecunias in res eas conferrent: Tormenta bellica in vrbis mœnibus collocarentur, aliaq. in eam sententiam nonnulla. Atque hæc Antuerpiæ. Ad Valencenates itaque reuertatur narratio: In vnius enim eius vrbis fortuna omnis Geusicarum rerum ratio consistebat. Noircarmius, quod demõstrauimus, milite itinera aditúsq. circum vrbem obsidebat, lentóq. vrbem bello fatigabat: & quidem supremum exercitus imperium tenebat, cõsilióque Maximiliani Henninij Comitis Bossuti, Goignei, Briartij, Crissonerij, Iasparis Roblij, Domini Billij, Largillæque vt plurimùm vtebatur. Fœderati Geusij, quòd istis auctoribus bellũ traheretur, septem hos istos dormientes vulgò compellabant. Copias Noircarmius in exercitu has habebat: Equites cataphractos Ducis Areschoti cohortem CCL. equitum, Marchionis Bergensis CC. Bossuti CC. Comitis Rhodij CCL. Montignei CL. Equites sclopetarios, Terlonij C. Bommij C. Pedites, veteranorum deducta Querceto, Landrecheo, Auesna, Marienburgo, Philippeuilla, arce Cameracẽsi signa sex, CL. capita in singula signa: Nouorum militum Ægidij Barlaymontij Domini Hiergij legionem signorum sex: Caroli Mansfeldani legionem signorum sex: altera item signa

*Valencenarũ expugnatio.*

ſigna quinque Balduini Gaurij D. Inchij, Betencourtij, nothi Bignicourtij, Preuſij, Rongij, & è legione comitis Rhodij ſigna duo. Noircarmius nuncijs literiſque de officio Valencenates ſæpius commonefacit, non placent conditiones Caluiniſtis, multaque de Tornaco commemorant, quod præſidijs ſeruitutem accepiſſet, magnoſque ita animos ſpe ſubſidij aſſumunt, vti Admirallij Gallorumque ſubſidia recuſarent, ſufficereque ſe Noircarmio profiterentur, multaque intra vrbem de Moyſis, Ioſue, Machabęorum fortitudine, de ſummi numinis prouidētia, magniſq. retrò miraculis concionibus Miniſter Grangius homo Gallus recitaret. Parmenſe itaque auctore, Arſchotanus atque Egmondanus Beuuragium arcem vrbi Valencianæ vicinam proficiſcuntur, Valencenarumque legatis Prid. Id. Mart. ad ſe accerſitis, pericula oſtendunt, multa de Parmenſis ſuoque in vrbem ſtudio commemorant, certamque rei reſtituendæ rationem proponunt. Reſpondent legati: Terreri ſe Tornacenſium exemplo, poſtulare, vt Orāgio Hornanoque præſentibus de re tanta videretur, conditioneſque deſcriptæ ſibi exhiberētur. Placet quod de ſcripto poſtularent, de Orangio Hornanoque negatur: De Tornacenſibus tabulis teſtimonijſque rumor refellitur: & quidem conditiones in hanc erant ſententiam deſcriptæ: Si vrbe dedita militem acciperent, futurum vt totos dies quindecim diſcedendi, bonáque auehendi cuiuis facultas tribueretur, cæteris, ſi in officio permanerent, Regijſque edictis parērent, ſine iniuria morari ea

X vrbe

vrbe permitteretur. Quæ de Inquisitione edictis-que iam essent à Rege constituta, cæteraque quæ in posterum ijs de rebus Regiorum tribunalium, Ordinumque iudicio Rex est promulgaturus, tam ea ad Valencenates atque cæteras Belgarum vrbes, ditionesque pertinebunt: Præsidiarij milites molesti ciuibus ob rerum præteritarum memoriam non sunt futuri: Si quis veterum se criminum suspicione volet expurgare, huic iure legitimo, siue coram ipso Rege, siue coram Senatu vel Status, vel priuato, vel Mechliniensi experiri iudicio licebit. Proponunt conditiones Valencenatibus reuersi in vrbem legati. Inde xvij. Cal. April. numero decem pro obsessis in hanc sententiam respondent: Magnas habere Valencenates gratias Arschotano Egmondanoque, quibus curæ vrbs existeret: Nec recusâsse sese vnquam, neque in posterum ea esse se recusaturos, quæ Parmensem atque vniuersos Status Senatores imperare sibi contingeret. Si auctore Parmensi, Equitibusque aurei velleris, Statúsque Senatoribus id à se postularetur, vti milite recepto Religione sua abstinerent: neque contrà quàm sibi proceres futurum promisissent, obtineri res aliter posset: flagitare vti cuiuis postulanti discedendi, bonaque auferendi facultas tribueretur: Neque antequam essent homines digressi, bona auexissent, vrbem miles ingrederetur, diésque huic rei conficiendæ idoneus constitueretur: Bona mobilia immobiliáque, quouis titulo à fisco vel distracta, vel apprehensa, nullo dominorum cum damno restitueren-

tuerentur: Crimen Maiestatis, cætera, quorum rei dicerentur, abolerentur: Edictum quo hostes Valencenates Parmensis pronunciasset, orare vt nouo edicto palàm tolleretur: Captiui vtrinque dimitterentur: Milites nullis ciuium impensis pecuniisque modestè rem gererent. Indignè ea superba atque intempestiua hominum postulata ferunt, viri Principes, multaque Egmondanus verborum acrimonia legatos obiurgat: tum quòd durante colloquio inducias Valencenates violassent, tormentisque obambulantes Regios milites occidissent: tum quòd Parmensis de cæde Tholousij certis literis nequicquam mouerentur. Respondent Legati, Plebem imperium vrbe tenere, obtineri rem aliam non potuisse. Non accipiunt excusationem Parmensis delegati Noircarmiusque, retroque vnde venerant reuerti eos in vrbem iubent. Ibi tum in genua prouoluti legati, multa obtestari, & in his Petrus Rasorius vrbis Præpositus cumprimis, abesse sibi ab ea vrbe liceret, in quã reuersos cædes ab insana plebe maneret. erat enim iste Rasorius veteris fidei atque officij perquàm studiosus, sed qui tantis procellis tempestateque cursum quẽ spectaret tenere minus posset. Respondet Egmondanus, si manerent, futurum vti fidem publicam violatam Caluinistæ quererentur: in vrbem itaque reuerterentur: id si recusarent, vinctos curribusq. impositos in vrbem esse se legatos remissurum. Concordię itaque spe sublata cæso Tholousio, qui subsidio venturus vrbi metueretur, ad vrbis expugnationem Noircarmius

se conuertit copiisque Beuuragium Saluiúmque adductis magno studio rem agere instituit. Valencenates rumorem de cæso Tholousio confictum arbitrabãtur: magnis itaque animis ad vim sustinendam se componunt. Grangius & quidam alter auctores existebant, vti subsidia è Galliis in vrbem adducerentur, sed persuaderi ea res ciuibus non poterat: tum quòd graue id crimen futurum profiterentur, tum quòd Gallis vetere odio infensi ferre id consilij minus possent. Erant omninò ciuibus permixti veterani aliquot milites, Ducemque sibi ciues strenuum quem militem delegerant: Egressi itaque porta Cardonia Regios milites inuadunt, nostrísque ea pugna eum metum iniiciũt, vti non vrbicorum, sed optimorum fortissimorúmq. veteranorum militum copias vrbem ingressas multi arbitrarentur. XIII. Cal. April. stationibus ita dispositis, vti Carolus Mansfeldanus totum eum tractum tueretur, qui est à porta Cardonia vsque ad portam Cameracensem: Hiergius à porta Ansima vsque ad portam Beatæ Mariæ: Peditatus reliquus apud tormenta consisteret, sub vesperam occupato suburbio portæ Montensis, fossis aggeribúsque perductis, ita tutò intra aggerem militem adducit, vti depelli nulla neque vi, neque arte ab obsessis possent. Hinc XI. Cal. quatuor canonibus & sex dimidiatis canonibus (liceat enim nobis barbarè rem barbaram compellare) deiectis propugnaculis X. Cal. (quæ erat dominica in Ramis) adductis aliis vndecim canonibus, mœnibus portáq. Montensi concussis

eos

eos rerum motus intra vrbem concitauit, vti ſub meridiem nulla exceptione vrbem Regi ciues dederent, militémque quem vellet Noircarmius ſub veſperam in vrbem adduceret. Inde IX. Cal. verſus Cameraceſium Epiſcopo, repugnantem vrbem copias nonnullas Noircarmius tranſmittit: fugiunt ad eum rumorem Caluiniſtæ, vrbeque deſerta facilem Epiſcopo, qui milites in vicino nonnullos habebat, victoriam eo euentu efficiunt, vti Epiſcopi militibus in vrbem admiſſis, res iſthic nullo momento componeretur. Noircarmius vrbe hunc in modum recuperata, vno atque altero die, dum ad Parmenſem rem refert, ita vrbe quieſcit, vti ſeditionum principes, & in his vterque Miniſter vnà cum Michaële filio clàm diffugerẽt: Pòſt nihilominus à quodam ruſtico delati, qui ob gladij ſericeam vaginam quam Michaël geſtabat, alicuius ſe momenti habere domi latitantem hominem fortè dixiſſet, comprehenſi à Prætore Sancti Amandi, initiò Tornacum, inde vincti Valencenas Miniſtri Michaëlque ſunt remiſſi. Coniectus inde in vincula pater Michaël, ingénſque cæterorum hominũ multitudo, pœnæq. de damnatis ſunt deſumptæ. Parmenſis imperij ſeueritate vniúsque vrbis pœna terrendas vrbes cęteras æſtimabat. Moto itaque magiſtratu, publicis priuatiſque deſcriptis atque in fiſcum redactis bonis, calamitoſam vrbis conditionem facere inſtituit. Atque hæc eſt illa famoſæ vrbis calamitas, cuius deditionem ea ſunt toto Belgio conſecuta, vti hàc vna vrbe repertæ cæterarum in vniuerſum vrbium claues

*Cameraceſium reſtitutum.*

X iij diceren-

dicerentur. Parmensis, vt accepimus, ea præclara rei restituendæ spe oblata placari iratum Regem summopere cupiebat, multumque suæ dignitati commodaturum existimabat, si prudente suo consilio è tantis periculis, nulla vi maiore veterem rerum quietem per se restitueret. Billium itaque in Hispanias ablegat; inde Billio reuerso certam manere eam Regi sentētiam intelligit, vti seueriore qua ratione retinendos in officio homines arbitraretur. Valencenis itaque recuperatis Cal. April. Traiectensium ad Mosam legati (quòd ad eam se vrbem xij. canonibus Noircarmius contulisset) futuros se in officio, Principibusq. sese suis parituros Parmensi ostendunt, nullaque tergiuersatione militem in vrbem admittunt. Orangius quo erat solerte ingenio, ea rerum cōmutatione Germaniam per speciem priuatorum negociorum cogitabat. Antuerpia itaque profectus ingente hominum multitudine, numero ad IIII. millia comitatus Bredam discedit. Traiecto hunc in modum restituto, vt metu victoris exercitus Antuerpiam terreret, Orangiique è vicino consilia turbaret, Tournhautium cum exercitu Noircarmius concedit: atque isthic tandiu subsistit, quoad Antuerpiam rebus compositis Parmēsis ingrederetur: quæ res ea est à Parmense ratione procurata: Venerant ad Parmensem à magistratu Antuerpiēsi certi qui delegati; cum iis ita rem constituit: Nouarum Religionum Ministri intra certū diem, quod per Parmensem tutò liceret, vrbe discederent: Conciones cæteraque nouarum Religionum ministeria tolle-

*Parmensis legatum Dominum Billium in Hispanias trāsmittit.*

*Traiectū ad Mosam restitutū.*

*Orangius in Germaniam discedit.*

*Antuerpia recuperata Parmensisque in eam vrbem profectio.*

tollerentur: Catholicorum ecclesiæ religioque restituerentur: A nouorum templorum ædificatione cessaretur: Templaque si Rex imperaret, deiicerentur: Regi se ciues iureiurando obstringerent: Apostatæ, exules, cæteriq. malæ notę homines vrbe pellerentur: Milites qui Magistratui militarent, quandiu intra vrbem existerent, in huius formulæ sententiam sacramenta dicerent: Res eas si ciues prętarent, nulli Religionē quam essent secuti, toto Belgio, damno iniuriæúe futuram: Qui legibus, quas ferre Regem de Religionis obseruantia contingeret, parere recusaret, huic discedendi facultatem futuram: Qui rei maiestatis, templorum violatorum, perduellionísque existerent, ad eos hanc criminis abolitionem non spectaturam: has se cónditiones ea lege promittere, si Regi probarentur; ea de re dū Rex deliberat, neque periculo cuiquam Religionem futuram, & nouarum Religionum ministeria tota vrbe atque agro cessatura. Accipiunt conditiones Antuerpienses, nouísque obsignatis templis IIII. Id. April. magistratu imperante Ministri Martiniani, Caluinistæque vrbe discedunt: inde exauctoratis vrbis militibus, qui magnam ea se ratione iniuriam pati quererentur, Petrum Ernestum Comitem Mansfeldanum, cum sex quæ dicebamus veteranorum signis, Caroli filij Legione, Beauuoiriique nonnullis signis vrbem ingressum Quart. Cal. Maias Parmensis septingentis equitibus, trecentisque sclopetariis comitata subsequitur: optimísque ita passim consiliis rem procurat, vti tota Flandria *Tota Flandria pacata.*

nouarum Religionum templis deiectis, incredibili celeritate nouarum Religionum publica ministeria diffugerent: comprehensi pœnas complures darent: Cominij, templi trabibus in patibula commutatis nouorum templorum auctores appenderentur. Buscoducis auctoritatem recuperare magistratus difficulter poterat, quin post illos, quos ostendimus, vrbis motus, magistratui cum bonis ciuibus de Repub. deliberanti Caluinistæ vim fecerant, effractisque curiæ foribus V. Id. April. ob propositam quam iurisiurandi nouam formulam totum eum diem tumultuârant. Verùm quæ res accidere eiuscemodi negociis consueuit, vti plebs nullo certo iudicio subitò concitata, seditionum auctores facilè deserat, id erat secutum, vti animis sedatis quadringentos è toto ciuium numero fidos milites magistratus adlegeret, Cancellarium Petersemiúmque III. Id. domum remitteret: seditionum principes vrbe diffugerent: Inde accersito à Parmense Megemo, qui copias cum Noircarmio coniungeret, Regióque exercitu ad vrbem accedente militem à Parmense præsidio acciperet, eámque in posterum Religioni atque Regi vrbem restitueret, quæ pòst singulari virtute constantiáque ea optimorum ciuium exempla proferret, quibus illustriora difficulter possint. Bredérodius cæso Tholousio, multis Geusiis comitatus Amsterodami morabatur, militibúsque totis circùm agris palantibus, multa, inter immania pocula, dira in posterum desertoribus perfidisque minabatur. Parmensis Amsterodа-

*Buscoducis res composita.*

*Bredenrodius Geusiiq. Amsterodamo totáque adeo Hollandia deiecti*

rodamum Torrium tranſmiſerat, qui excedere Amſterodamo Bredenrodium iuberet: contempſerat Legatum Bredenrodius, multíſque verborum contumeliis non ſe dignum, vti aiebat, hominem reiecerat: Fœderati, quod ex Torrio audire me memini, multo etiam grauiore iniuria ita rem egerant, vti ædibus quibus morabatur prodire eum non paterétur: Chartas inſtrumentaque ſi quæ publica priuatáve haberet, diriperent, cædem poſtremò modò verbis, modò armis minarentur: magiſtratus, qui præclarus ea vrbe exiſtebat, quique vel Religionis, vel cæterorum bonorum ſtudiorum curam, niſi vi atque fame expugnatus non depoſuit, eam Torrij iniuriam deprecaturus Bredenrodium accedit. Reſpondet Bredenrodius, præſtare ſe alienam culpam non debere; ſuo imperio atque iuſſu res eas non committi: clàm itaque cum Torrij hoſpite re deliberata, noctu vrbe Torrium magiſtratus dimittit. Megemus, Noircarmiusque Buſcoducis recuperatis per Geldriã in Hollandiam contendunt: quæ res vt Vianæ eſt intellecta, vrbe deſerta Amſterodamum milites diffugiunt, vrbeque Ericus Dux Brunſuicenſis, qui in vicino copias habebat, potitur. Bredenrodius ad vim ſuſtinendam nondum ſe comparârat, neque ea rerum inclinatione manendum ſibi Amſterodami exiſtimat. Cal. itaque Maij naue conſcenſa in Phriſiam orientalem nunquam domum rediturus proficiſcitur, fœderatoſque vti ſubſequantur commonefacit. Megemus, Arembergiúsque qui ſe Megemo Noircarmioque con-

iunxerat,iam vrbi imminebāt,omni itaq.iam ſpe deiecti fœderati,& eorundē ſtudiorum alij complures,ex agris quorum Monaſteria diripuerant, V. Non.Maij diffugiunt,Megemus fugientes inſequitur, centum in littore deprehenſos cædit: fœderati qui in vrbe exiſtebāt, & Bredenrodium non erant ſecuti,nauem & ipſi multis ſociis conſcendunt. Ferunt ab ebriis iniuriam factam nauclero,ea commotum noctu in Arembergij poteſtatem nauem deduxiſſe:vtcunque res ſit,Harlingam naue adducta, multis iſthic laqueo peremptis,nonnulli fœderatorū Principes Viluordiam Parmenſe imperāte ſunt adducti: Exonerato itaque hunc in modum Amſterodamo, nullo momento cum Regijs Ducibus Amſterodamenſes præſidio in vrbem admiſſo rem componunt, eo rerum ſucceſſu, vti non ea modò vrbs, in qua momenti plurimùm exiſtebat, ſed tota quàm latè patet Hollandia Zelandiaque, totúmque adeo Belgium Religione reſtituta,hæreticis vel profligatis vel dilapſis,officium ingenti alacritate præſtaret,& cum Parmenſe de obſeruātia obſequióque certaret. Orangius Breda Grauiam conceſſerat, atque iſthic coram Hornano & fratre Ludouico cum Bacquerſelio de Egmondano grauiter expoſtulârat: Magiſtratum Grauianum de officio ita commonefecerat, vti eos Religioni catholicæ atque Regi ſtudioſè parere debere affirmaret: Inde in Cliuiam tranſgreſſus, multiſque iſthic vxoris opprobriis exceptus Dilleburgum veterem Naſſouiorum domum diſceſſerat. Diſcedunt item Belgio Hoochſtratanus, Hornanus,

nus, Comes Bergensis, Culenburgius, & è vulgo ingens hominum multitudo. Luterani iniuria Antuerpia se depulsos querebātur, tum quòd magna essent sua in eam vrbē merita, tum quòd literis exciti, multisque summi ordinis hominum cohortationibus incitati in Belgiū venissent. Exponunt rem eam Parmēsi Antuerpię XIII. Cal. Iunij Electoris Saxonis & cuius alterius germani Principis legati: Respondet Parmēsis, sine Regis mandato cōstitui de Religione rem nullam à se posse, rogareq., vt qui Principes suo arbitrio quā vellent Religionem suis ditionibus prouincijsq. tuerentur, ij neque Belgicæ Religionis curam in se susciperēt, & Regem veterem iuratamque catholicam Religionem tueri paterētur. Quod certè responsum vt maximè æquissima ratione niteretur, multos nihilominus & in his Orangiū grauem censorem pòst inuenit: sed hasce hominum iras, vti in portu maris tempestates, sic Parmensis facilè contemnebat: Templa nouarum Religionum Antuerpię militibus donat: Legesque Religioni procurādę vtilissimas describit: Ministros, Seniores, Diaconos, Superuigilātes, Superintendētes, Consistoria, Cœnas, Pecuniarum tributa, Militū delectus, Scholas, totumque adeo istū nuperę Ecclesię ordinē detectis eius malis atq. technis disturbat, rebúsque ex sententia toto Belgio compositis Bruxellā veterē Imperij sedem Mēse Iunio reuertitur. Atque hic est equidē huius nostræ historiæ terminus: tum quòd Ducis Albani in Belgium aduentus, cæteraq. Albani res gestæ, quæ præsente Parmensi acciderunt, vno atque

*Procerum fuga.*

*Germanorum Principum pro Luteranis legatio.*

*Parmensis Bruxellā reuertitur.*

eo continuo ſermone ab eo narrari conueniat: qui Albani præfecturam imperiumq. eſt deſcripturus: tum quòd hoc fœlici tranquillóque rerum ſtatu, quàm illo inuiſo turbidóque quieſcere à ſcribendo magis adlubeat: Eſt enim pergrata hæc reſtitutæ à Parmenſe Reip. recordatio: nulla enim iam inde ab exortis hæreſibus præclarior meliórque rei bene gerendæ occaſio eſt oblata atque hæc illa, cùm tot per Belgium optimorum ſeſe Ducum, Magiſtratuum, militum ciuiumque voluntates oſtenderunt, veteribúsque detractis hæreticorum laruis infames nouarum Religionum vultus patuerunt. At ferre eam rerum fœlicitatem peccata noſtra non poterant: multis grauiſſimisque bellis, diuturna agrorum vaſtitate, præclariſſimarum vrbium excidiis, ingẽte hominum ſtrage, coniurato in noſtram perniciem totius orbis milite, direptis Belgij opibus, vt inedia, ſic vel rigidorum vel imperitorum medicorum cura, tot per annos affligi Remp. oportebat; inde miſerante eius fortunam miſericorde Deo, eum te Illuſtriſſime Sereniſſimeque DVX nouum accipere cælo medicum, qui præſtantiſſimæ matris exemplo clementia ſeueritatéq. temperatam imperij dignitatẽ, ingenti ſua cum laude populorúmque ſalute tot hoſtibus circumfuſis præclarè tueretur. FINIS.

*Duos hosce* Florentij vander Haer *de Initiis tumultuum Belgicorum, libros ad memoriam poſteritatis vtiliter excudi poſſe cenſeo,*

Guilielmus Eſtius S. T. D.

*Errata*, Fol. 6. lin. 15. ipſum pro ipſa. Fol. 13. lin. 17. lege celeberrimam. Fol. 25. lin. 1. incœpta. Fol. 30. lin. 19. æſtimarit. Fol. 51. lin. 5. tutela. Fol. 51. lin. 6. tam pro tum. Fol. 54. lin. 5. hæc. Fol. 61. lin. 4. tranſiiſſent. Fol eodem lin. 5. Ariani. Fol. 67. lin. 24. Ruygomo. Fol. 68. lin. 17. maturuerint. Fol. 126. lin. 11. Rex pro Cæſar.

